Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Küster

Memoria Viri ... Dn. Lucae Bacmeisteri, S. S. Theolog. Doctoris & in Acad. Rostochiensi quondam Professoris celeberrimi ... : Oratione Parentali, in Auditorio maiori illustris Academ. Rostoch. in consessu splendidissimo 12. Februar. Anni 1639. habita

Rostochii: Kilius, 1639

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546/phys_0001
DFG

Mk_13755 1-30
<16.Jh.>

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn766612546/phys_0002
DFG

MEMORIA
VIRI
Reverendi-plurimùm, Clarissimi & Excellentissimi

Dn. LUCÆ BACMEISTERI, S. S. Theolog. Doctoris & in Acad. Rostochiensi quondam Professoris celeberrimi, pòst Superintendentis Megapolitani per multos annos Vigilantissimi, optimè de Ecclesiâ Christi meriti.

Filius IV.

ORATIONE PARENTALI,
in Auditorio majori illustris Academ. Rostoch. in confessu splendidissimo 12. Februar. Anni 1639. habitâ,

POSTERITATI CONSECRATA
à
JOACHIMO CUSTERO,
Ecclesiaste in oppido Marlov.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
Anno M. D C. XXXIX.

VIRO

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO

DN. CASPARO COCHIO,

J. U. Licentiato & Consiliario Megapolitano amplissimo.

UT ET

Reverendo & Clarissimo Viro

Dn. M. LUCÆ BACMEISTERO,

SS. Theolog. in Acad. Rostochiensi Professori publico dignissimo.

NEC NON

Præstantissimo ac Doctissimo Viro Juveni

DN. NICOLAO BACMEISTERO,

SS. LL. Studioso Solertissimo.

Dn. Fautoribus & Amicis meis plurimum colendis. S.

ALexander Magnus, cum ad Achillis Græcorum fortissimi tumulum staret, felicem illum, quod Homerum suæ virtutis præconem reperisset, prædicasse fertur. Vos vero, Viri Clarissimi, *quid facietis? Num Parentem & Socerum vestrum felicem dicetis, quod ejus laudes à me jejunâ ac paupertinâ Oratione qualitercunq; depradicatas videtis? Haut censeo. Quantam enim istâc in re præstiterim, res ipsa loquitur, & ipse satis intelligo. Ideoq; diu multumq; optavi, dari alium, qui hanc provinciam majori & suâ & defuncti cum dignitate obiret: Sed frustrà. Memor igitur quanta à beato illo viro beneficia acceperim, quamq; insigni me semper favore ac benevolentiâ prosequutus sit; malui vel cum nominis mei periculo defuncti memoriam aliquo encomio celebrare eamq; posteritati consecrare, quam cum turpi ingratitudinis maculâ invidiosæ oblivionis injuriæ expositam relinquere. Vos itaq;, Viri Præstantissimi, hunc meum qualemcunq; conatum æqui bonique consuletis, mihiq; favebitis. Idvos quapar est animi observantiâ submisse rogo & obtestor. Valete.*

J. Cust.

RECTOR

RECTOR Universitatis Rostochiensis

JOANNES HUSWEDELIUS

Philosoph. Pract. Profess.

Lectori Benevolo S. D.

QVi piè & honestè ex Redemtoris nostri formula vixerunt, & vitam fine pariter pio & placido clauserunt, omnino digni sunt, quorum nomen & memoriam idem tumulus non obruat, qui corpora, præsertim si eas res vivi gesserunt, quæ posteritatem quoq; commemorando juvare possint. Honos enim, non solum qui viventibus, ob rectè merita, exhibetur, sed etiam qui mortuorum conservat memoriam, alit artes, & animis generosis, atq; ad virtutem prochivibus, ardorem excitat imitationis, & ad similis gloriæ cupiditatem, quasi stimulo quodam inpellit. Quod cum animadverterent veteres hoc studiose egerunt, ut consuetudo laudandi post obitum viros præclarè meritos de Republ. vel introduceretur, ubi non esset, vel ubi esset, servaretur. Primo enim ingrati hominis esse norant, memoriam accepti beneficij abjicere, simul ac Beneficij autor ē vita discessit: quo quid turpius est? Deinde conatus egregij franguntur, industria minuitur, studia virtutis retardantur, quæ hoc stimulo non incitantur: quo quid inutilius & ad virtutis ac pietatis cultum pernicioſus? Exemplorum copiam suppeditat nobis primum Ecclesia, non multis, post sublatum in cœlos, redemptorem nostrum, annis, in qua nihil sanctius, nihil frequentius, nihil utilius hac Martyrum, confessorum, ascetarum & aliorum piè vivorum, piè mortuorum publicè celebrata ac prædicata memoria, excogitari potuit. Laudabant non falsi, non emti præcones: auscultabat populus, vera & quæ rei congruerent audire doctus & adsuefactus, ardor & cupiditas æmulandi in animis excitata lacrumas ex oculis eliciebat, & serij studij non saltem initium fervidum, sed & constantiam in re agenda promittebat. Mos Ægyptiorum ex primo Diod. Sic. libro notissimus est: Cognati deposito luctu ad mortui laudes procedunt, ac de genere quidem nihil, ut Græcorum consuetudo habet, memorant: Sed ut à puero educatus, institutus, ad virilem ætatem progressus, pietatem erga Deum, justitiam, continentiam,

alias virtutes coluerit, recensenr, ac Deos ἦς κάτω, manes, ut in contubernium piorum recipiatur, obtestantes rogant. Laudes clamore ac plausu vulgus excipit, aliasq; magnificas in defunctum congerit, ut beatum, quiq; sempiternum cum piis, regnum, in Ditis regno sit peracturus. Græcorum consuetudo ex Thucydide nota est, in quo pericles primarius civitatis Athenienſis orator præclarè mortuorum causam agit, ac inter cœtera, quasi oraculo quodam producto, verè pronunciat ἆθλα οἷς κεῖται ἀρετῆς μέγιστα τοῖς δὲ καὶ ἀνδρες ἄριστοι πολιτεύουσι, apud quos maxima virtutis præmia proponuntur, in horum etiam civitate viri præstantissimi versantur. Quidni consuetudinem imitemur, à pietate natam, recta ratione, honestate, utilitate confirmatam, exemplis munitam, eamq; sedulo exercitam ad posteros transmittamus? Id quidem pro virili facere conatus est Rev. ac doctissimus Vir Dn. JOACHIMUS CUSTERUS, Turcovienſis, Pastor Ecclesiæ Marlovienſis, qui Rev. Clariss. & Præstantissimi Viri Dn. LUCÆ BACMEISTERI, SS. Theol. Doctoris & Superintendentis Gustrovienſis, amici nostri dum vixit, honorandi, vitam piam, res in Ecclesia gestas & beatum obitum oratione luculenta comprehensam explicavit. Ejus recitatio crastinæ diei hora nona in auditorio majori peragetur, digna cui omnes Academiæ Cives inter sint, docentes quidem, & majores defuncti causa, cujus memoriam tanquam collegæ per annos aliquot, ante quam ad Episcopen vocaretur, in pretio habent, nunquam inter morituram: Studiosus vero discentium cœtus Viri clarissimi vitam studia ac mores observabit, atq; ex ijs intelliget, quanti interſit vitam piè ordiri, in ea piè progredi pio fine claudere, studia rectè atq; ordine tractare, non tumultuariè, interrupte, & ut canis, quod dicitur, è Nilo bibit, sed constanter, sedulo, & via, quam à viris ad exemplum factis & institutis tritam ex inpressis vestigiis videmus. Vitæ ac moribus nostri seculi quam necessaria sint magna exempla videmus qui hoc seculum priori comparamus. *Damnosa quid non imminuit dies! Ætas parentum pejor avis tulit, Nos nequiores mox daturos Progeniem vitiosiorem.*

Adeste ergo Cives Academici, & cras hora nona, auditum operam benevolam atq; attentam dicenti præbete. P. P. Rostochij sub sigillo Rectoratus Anno M. DC. XXXIX. die X. Februar.

Si quis

Si quis ex me quærat, Magnifice Dn. Rector, Reverendi-plurimùm Ampliſſimi, Conſultiſſimi, Experientiſſimi, Clariſsimi, Excellentiſsimiq; Viri, tuq; Nobiliſſima ſtudioſorum juvenum corona, *quid hoc exulceratiſſimo ſeculo in tantâ rerum omnium confuſione ac panolethriâ dolendum potiſſimum ac lugendum cenſeam; haut incommodè forſan nec ineptè reſpondeam: Virorum præſtantium, Scholis, Rebuspubl. & Eccleſijs qui uſui magno atq; præſidio fuêre, ſivè obitus ſivè abitus. Hic enim quantas lugendi cauſas, quàm multas, quam graves ſecum trahat, quis eſt paulò oculatior, qui non videat? Navim precroſis onuſtam mercibus, ſi à vortice maris abſerpta fuerit, nemo fermè eſt, qui non dedeploret: quantò magis Virum doctrinâ, pietate ac integritate, quovis auro atq; argento preciſioribus, onuſtum, ſi vortice mortis pereat, lugendum cenſebimus? Quod Sol, Luna, ac cætera cœli luminaria mundo: hoc Viri pietate ac honeſtate conſpicui hominum contubernio. Tolle illuſtres illas mundi faces, & quid erit, niſi tenebroſum chaos? Sic ſublatis, qui radijs ſuæ ſapientiæ ac prudentiæ Eccleſias ac Reſpubl. colluſtrârunt, caliginoſa ſunt omnia. Ut columnâ ædificij ſubrutâ tota collabitur ſtructura: Ita, cum viri egregie cœtu mortalium tolluntur, teſtis eſt experientia*

--- Omnia fatis
In pejus ruere, ac retrò ſublapſa referri.

Quis igitur tam ferreus, aut ab omni pietatis ac humanitatis affectu alienus, qui hujusmodi virorum, qui ſua prudentiâ, autoritate, & quod palmarium eſt, pietate ac oratione res labentes ſuſtinere, lapſas erigere ac inſtaurare va-

luerunt, non doleat? non lugeat? non deploret? Neq; enim sordida ignobilis vulgi judicia nos sectari oportet: ne in eam, quam Propheta instituit, incurramus reprehensionem: Justus perit, & non est, qui perpendat in corde suo: Viri misericordiæ tolluntur & non est, qui intelligat!

Inter hos summmos Viros, queis Dei gloria & hominum salus in omni re semper suprema lex fuit atq; regula, merito numeratur suo Vir, quem circa anni nuper elapsi finem proh dolor! amisimus, Vir inquam, Reverendus admodum, Clarissimus & Excellentissimus Dn. DOCTOR LUCAS BACMEISTERUS Theologus magnus, Professor quondam hujus semper-illustris Academiæ celeberrimus, pòst Superintendens Rostochiensis primum, deindè Gustrovienſis etiam Diœceseωn vigilantissimus: Hospes, Promotor & Fautor (heu olim!) meus gratâ semper memoria colendus. Næ hîc, Auditores Excellentißmi

Communis nobis dolor est: quis pectore fundat
Non imo fletus? causa doloris adest.

Nam quid hujus tanti Viri obitu vel verius à nobis abitu perdiderimus, etsi in præsens capere aut nolumus, aut nondum possumus, tamen vereor ne olim vero licet sero animi dolore prosequuturi simus. Quanta enim ille pietate, eruditione, virtute fuerit; quam promptâ in negotijs feliciter expediendis dexteritate, quàm insigni autoritate, quantâ morum suavitate, quàm mirâ erga omnes humanitate, nemo vestrum, Auditores omnium ordinum spectatißimi nisi hospes in hac urbe ac provinciâ fuerit, ignorat. Quapropter etsi non juvenilibus floridus annis, sed venerabili donatus senio naturæ debita persolvit; nimis tamen immaturè hujus Provinciæ Ecclesijs, in audito Martis furore miserè dißipatis & tantum non extirpatis, heu! decessit. Quod igitur ὡπυ-

eos ille Propheta cum in cœlum subveheretur, ab Elisæo discipulo inaudijt: Idem nos quotquot hujus tanti Viri discipulos ac clientes haut inviti nos profitemur; quique eum penitius novimus, ac summam ejus doctrinam, insignem pietatem, singularem humanitatem, mirandam in rebus Ecclesiasticis prudentiam & agendi dexteritatem sæpè multumque experti atque demirati sumus, morienti ac per mortem cœlorum culmina petenti cum summo animi dolore ingeminamus: Pater mi pater mi currus Israelis & equites ejus!

Cæterum cum defunctorum memoriam præsertim excellentissimâ virtute præditorum, non solum ab amicis, sed etiam alienis commendari, secundum Nazianzenum, maxima sit pietas, & nos summi hujus Viri memoriam religiosa parentatione celebrare, eique justa solemnia facere decet. Hoc etenim pietas non solùm flagitat, sed debita etiam gratitudo postulat, æquitas requirit, consuetudo exigit. Sed hîc ego nil magis in votis habui, quam ut esset me & doctrinâ & eloquentia longè superior, qui hanc parentandi operam mihi præriperet & Viro Clarissimo justa suprema persolveret! imbecillitatis enim meæ mihi sum optimè conscius. Non ignoro

--- quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Sentio eam in me nullatenus esse facultatem aut dicendi exercitationem, quæ aut huic amplissimo loco, in quem nil nisi accuratum ingenio, elaboratum industriâ exactum judicio adferri oportere, semper judicavi: aut huic tam illustri tot præclarissimorum virorum consessui: aut Antistitis nostri laudibus omni commendatione superioribus par esse possit. Verum enimverò cum, nescio quo fato votum meum hactenus sit irritum; & tantæ beati illius viri in me extent beneficia, ut verear, ne in aliquam ingrati animi notam incurram, nisi gratitudinis meæ & erga defunctum etiam ob-

ser-

servantiæ publicum edam testimonium, malo indisertus, aut etiam dicendi rudis ac imperitus, quàm ingratus & acceptorum beneficiorum immemor videri.

Quod igitur cum aliquâ tanti viri laude, cum vestra omnium benevolentiâ fiat, dicam de vitæ ejus ingressu, progressu, egressu; præclaro, præclariori, præclarissimo. *Idq; dabo operam sedulò, ut sepositis verborum ampullis rem ipsam Vobis, quâ potest fieri brevitate, ob oculos ponam. Vos interim,* Magnifice Dn. Rector, cæteriq; eruditione, virtute & dignitate præstantissimi Viri, *hanc mihi quæso gratificaminor gratiam, & animos ac aures præbete benignas, quò vestrâ benevolentiâ, vestro favore mea subvecta oratio portum feliter assequatur. Et Tuô*

Spiritus alme veni atq; animis illabere nostris:
Adsis præsidio, viresq; in verba ministra!

Principiò dubium quidem non est, quin ea potissimum in homine quæ propria, non aliena aut extrinsecus accidentia, disquiri debeant. Nam

--- quæ nos non fecimus ipsi
Vix ea nostra puto

Negari tamen omninò neq; potest neq; debet, quod ad aliquam viri boni laudem etiam parentum dignitas, ac virtus pertineat. Ut enim rivulus in precio est, ex puro & limpido fonte qui profluit: Ita soboles præstantibus orta parentibus. Memorabile est quod Q. Curtius de quadam Scytharum Regina commemorat, quæ, ut generosum ederet filium, Alexandrum M. sibi expetebat maritum. Adeò verum est, quod Poeta cecinit:

Fortes creantur fortibus & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quanquam quod in proverbio est, interdum etiam Herorum filij noxæ, *à majorum indole ac virtute nimium quantum recedentes, & per inertiam exiguo tempore decoquentes, quicquid fuit ante partum famæ & honoris. Verum is hæc naturæ sive invidiæ sive desidiæ in* Luca Bacmeistero *locum non reperit. Ortus etenim prosapiâ clarissimâ tantum abest, ut se eâ indignum præbuerit, ut propriarum etiam virtutum augmento longè clariorem reddiderit. Avus paternus ipsi fuit* Johannes Bacmeisterus *civis inclytæ urbis Lunæburgensis spectatissimus: Avia* Anna Lubbingia *honestissima fœmina. Ex his natus fuit, anno qui exhibitæ* Augustæ augusto *Imperatori Carolo V.* Augustanæ *Confessionis nomine perquam celebris est. Pater hujus Nostri Vir quondam Reverendus & Clarissimus Dn.* D. Lucas Bacmeisterus *senior, Theologus eximius, lumen hujus Academiæ splendidissimum, nec non Ecclesiarum urbis Ephorus per totos quadraginta sex annos vigilantissimus. Cujus Viri laudes cum à Viris Clarissimis ante hac satis justo præconio sint deprædicatæ; meamq; longè superent tenuitatem, silentij velo lubens involvo, & quantum ad nostrum institutum videtur facere, ex historiâ ejus saltim depromo. Parens inquam hujus Nostri* Lucas Bacmeisterus, *cum in Academiâ Leucoreâ communi illo Germaniæ Præceptore Philippo Melanchtone uteretur familiariter, ab eo primum* Christiano III. *Regi Daniæ Religiosissimo, cum is Pædagogum pro filijs & Nobilibus adolescentibus in aulâ quæreret, commendatus, triennium isti officio præfuit. Indè reversus Witebergam, non multò post Vidua Regina* Dorothea Saxonica *Concionatorem aulicum Witebergâ petente, eò missus est iterum* Lucas Bacmeisterus: *Cumq; in isto quoq; officiò tùm Reginæ, tùm aulicis probaretur facilè omnium favorem &*

benevolentiam sibi conciliavit. Vivebat tum in Daniâ Vir Magnificus & Excellentissimus Dn. Jacobus Bordingus Medicinæ Doctor, cum cætera magnus, tùm Græcè & Hebraicè (quod in Medicinæ Doctore mirari licet) ità doctus, ut Lutetiæ in Lexovienſi Collegio utramq; linguam fit profeſſus. Cui etiam hæc Academia vel ideò æternam nominis memoriam debet, quod cum Doctiſſimo Viro M. Arnoldo Burenio id egit, ut ea ex ruderibus quaſi educta, quam optimè conſtitueretur. Bordingus hiccè conjugem habebat Franciscam Nigronam Thermi Nigroni Patritij Genuenſis & Johannæ de Rochelle Patritiæ Avenionenſis filiam: ex qua plures ei nati erant liberi, & hos inter filiâ primogenita Johanna. Hanc petenti Bacmeiſtero conjugem Bordingus minimè abnuit, ſed generum hunc libenter ſuſcepit: qui non longè poſt in hanc urbem vocatus eſt, ubi annos complures in templo Mariano & hoc illuſtri loco ſummo cum applauſu docuit: Donec anno à Chriſto incarnato milleſimo ſexcenteſimo octavo demum ex hac miſeriarum valle in cœlum receptus æternam nominis ſui memoriam reliquit. His ergò tàm præclaris parentibus felici natus ſidere eſt Lucas Bacmeiſterus, de quo loquimur, anno partæ ſalutis M. IↃ LXX. 4. Non. Novembr. quo ipſo anno Eccleſia Chriſti in Germania amiſit graviſſimum illum & perpeſſis ob nomen Chriſti perſequutionibus inſignem Theologum D. Johannem Brentium. Quam tanti Viri jacturam provida Patris cœleſtis cura nativitate Bacmeiſteri noſtri quodammodo reparatura videbatur. Eſt præterea annus iſte non unà inter terrarum Dominos pacificatione memorabilis. Nam non in Galliâ ſolum pax facta eſt: Sed & inter Regem Daniæ Fridericum II. & Sueciæ Ericum XIV. bellum octennale hoſtilibus animis ac armis acerrimè geſtum, feliciter

fuit

fuit sopitum. Bono ergo omine Natura hoc ipso anno produxit Bacmeisterum ut ostenderet, non fore φιλόνεικον aut πυξίμαχον; sed verè φιλήσυχον καὶ φυγόμαχον; qualem ipsum toto, quo vixit tempore, fuisse noverunt, qui eum noverunt, omnes. Sed nec illud temerè prætereundum est, quod non in obscuro aliquo pago, aut oppidulo ignoto, sed in hac ipsâ, in qua degimus urbe florentissimâ, vivendi initium fecit Antistes noster. Quod quamvis leviculum forsan nonnemini, & indignum quod huc accersatur, possit videri: præsertim cum Doctoris Bacmeisteri nomen propriis coruscans radijs alienâ luce non indigeat: Tamen si rem rectè apud animum consideremus, non postremam hanc εὐγενείας ejus partem fuisse deprehendemus. Quid enim quam dici Græcum, civem Atticum, Romanum olim fuit glorioſus? Contrà quid ignobilius? quid contemtius? quam esse Phrygem, Mysum, Cretensem, Schytam, qui ob barbariem aut nativa quædam vitia semper malè audivêre. Nimirum suus locis singulis est genius: habent singulæ urbes & regiones sua instituta, suos mores, suas item leges, juxta quorum normam incolæ formantur. Quò pertinet, quod ipse Divus Paulus, sicut in actis Apostolicis legimus, ut scelerum turpissimorum à se suspitionem amoliretur, ad Patriam Tarsum ἔκ ἀσήμου πόλιν: & non multò post ad jus urbis Romæ, cujus civis erat non creatus sed natus, provocare non erubuit. Jam quid hac urbe, quam Lucæ Bacmeistero primam lucis usuram concessisse diximus, celebrius? quid florentius? quam commendabilem omnibus reddunt intemerata Religionis puritas: honesta morum integritas: Copiosa Virorum Doctorum & sapientum ubertas: fluminis navigabilis & maris vicini optata commoditas, ædificiorum splendor & amænitas. Quæ licet cum cæteris hujus littoris Balthici urbibus communia videri possint: certè

in eo cæteras omnes multis parasangis facilè prævertit, quod Apollinis ac Musarum sedes ultrà duo jam secula fuit. Unde ex hac urbe, tanquam ex equo Trojano innumeri Viri docti prodiêre, qui Scholis, qui Ecclesijs & Rebuspubl. tùm hîc tùm alibi magni usui & emolumento fuerunt: & veram de Deo doctrinam ac artes humano generi utiles cum voce tùm scriptis longè latèq; propagarunt. Quid igitur mirum, si ex hac tam illustri patria Lucas Bacmeisterus tantus Vir prodyit?

Præclara hactenus in Bacmeistero nostro sunt omnia, parentes, tempus, locus ortui ejus à Domino destinata: sed longè pręclarior vitæ ejus progressus fuit; quo de ut nunc porrò dicamus ordo orationis postulat. Ubi latissimus se nobis campus aperit, quam ingredi, quam egredi facilius est. Sed utar compendio & summa sequar fastigia rerum. Erat quidem ὁ μακαρίτης origine πολλῶν ἀνταξιος ἄλλων; Verum è communi peccatorum sorte non fuit exemtus. Ergò à nativitate carnali ex aquâ & Spiritu renasci eum oportuit, ut regnum cœlorum ingrederetur. Quæ quidem in re parens optimus nihil in se desiderari passus. ad tam sacram vitæ verè-vitæ primordium fidelissimam ac rectissimam porrò educationem ac disciplinam adhibuit. Scilicet hoc esse parentum officium, hanc laudem maximam facile intellexit, in id incumbere maximè, ut filijs non tantùm sint causa vivendi, sed etiam benè vivendi: ut corpus non solum nutriant sed & animam: nec impleant marsupium, vacuum verò relinquant animum. Certè

--- a teneris assuescere multum est

Nam ut in semente posita est spes futuræ messis: Sic totius reliquæ vitæ exspectatio ab educatione pueritiæ prodit. Nostri ergò parens id egit sollicitè, omnemq; quod dicitur lapi-

dem

dem movit, ut liberi quos suavissima conjugij pignora sibi DEUS dederat, quàm fieri posset, optimè & dexterrimè educarentur ac formarentur. Quâ quidem industriâ id consequutus est, quod paucis aut nullis ferè datum est parentibus, ut filiorum quatuor summis honorum gradibus insignitos atq; ornatos reliquerit, Lucam puta SS Theolog. Henricum J. U. Johannem & Matthæum Phil. & Med. Doctores, Ecclesiæ postmodum & Reipubl. lumina & columina perquam egregia. Ut de primogenito JACOBO nil dicam, qui annos virtute præveniens ab eodem honoris gradu, cum artium liberalium Magister & sanctæ linguæ Professor in hoc illustri Lycêo jam esset, propè abfuit. Sed præmaturæ vati violentia ulteriorem ipsi in honoris stadio cursum denegavit. In hac nobili præstantissimorum fratrum corona nulli pectoris ingenijq; bonis posterior fuit Lucas noster. Quæ si in homine desideres, frustrà disciplinam ac institutionem licet diligentissimam adhibens. Verum si ad naturam eximiam atq; illustrem accesserit ratio quædam confirmatioq; doctrinæ, illud nescio quid præclarum atq; singulare solet existere, ut inquit Oratorum princeps. Cum itaq; præclaræ in puero Bacmeistero indolis ac præstantis ingenij non obscura apparerent indicia, egregijs ac doctis Viris tùm publicè cùm privatim formandus ac erudiendus à Patre fuit traditus. Elementa igitur literarum admodum puer cœpit discere sub Præceptore M. Davide Woldero postea Ecclesiaste Hamburgensi: Deinde M. Theodorico Dassovio postea Mystâ Buxtehudensi: tum M. Feliciano Claro post Superintendente Hertzbergensi in Misniâ. Sub his Præceptoribus mediocres Latinæ & Græcæ linguæ profectus fecit; ut quâ erat ingenij facilitate æquales in Scholâ patriâ, quæ tùm Moderatorem habebat Nathanem Chytræum, at quem

virum? facilè superaret. Hic enim, ut erat ingeniorum æstimator & formator solertissimus, cum singularem in Luca Bacmeistero ac plusq; puerilem discendi ardorem animadvertisset paterno ipsum affectu complexus, quam ad virtutis ac eruditionis metam curreret, viam fideliter præmonstravit, & currenti calcaria prudenter addidit.

Philippus Macedoniæ Rex nato filio Alexandro Dijs immortalibus gratias putavit agendas, non tàm quod filius quam quod Aristotelis summi Philosophi ætate natus esset, a quo enutritus & institutus suis majoribus dignus & rebus agendis idoneus evadere posset. Quid sapientissimum Virum parentem hujus Nostri feciisse putabas qui Viri bono juventutis nati, Nathanis, inquam Chytræi opera in formandis liberis uti potuit? Certè ipsemet Beatus Bacmeisterus frequentem hujus Viri eamq; satis honorificam facere mentionem solebat, cui etiam non postremam eruditionis suæ partem acceptam ferebat: exemplo omnibus imitando, ut licet μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων, gratâ tamen memoriâ præceptorum suorum beneficia prosequantur.

Sed μὴ ἐξω ἔσκοτε βάλλειν. Postquam in scholâ patriâ pietatis, artium ac linguarum ea jam posuerat fundamenta Bacmeisterus quibus egregiam summæ eruditionis arcem tutò superstruere posset: ac jam antè per occasionem puer adhuc præcipuas Selandiæ ac Scaniæ urbes perlustrasset: Argentoratum clarissimam illam ac totius Germaniæ potentissimam urbem missus anno χειρογονίας M. D. LXXXVII. ibiq; per triennium commoratus est: Cum anno præcedente totam fere Helvetiam peregrinationis ergò percurrisset. Hîc in illustri Gymnasio primum, deinde in Academia florentissimâ, quæ in patriâ bene ceperat, studia, majoris cultu feliciter continuavit; atq; talia inge-

nij ac solertiæ suæ specimina edidit, quibus facilè omnes in sui amorem ac admirationem raperet, spemq; summæ eruditionis certissimam cunctis faceret. Argentina discedens pleraq; superioris Germaniæ loca peragravit, & illustriores Academias Heidelbergensem, Jenensem, Lipsensem, Witebergensem & Helmstadensem lustravit: Cum ad civilis prudentiæ veraq; eruditionis rationem plurimum prodesse sciret, multas vidisse urbes, multorumq; hominum consuetudine usum esse.

Domum igitur reversus magnâ parentum lætitiâ & congratulatione, quod sumtus hactenus in filium hunc suum liberaliter collatos non fuisse nec fore irritos, haut difficulter intelligerent, exceptus fuit. Hîc studio Philosophiæ porrò perdius & pernax incubuit, & encyclopædiam artium integram percurrit. De Parentis autem consensu, & quod animus ita ferre videbatur, paulatim ad JURIS studium se accinxit. Ideoq; institutiones Juris profitentes audivit Viros clarissimos Dn. D. Martinum Nordanum privatim, publicè verò Dn. D. Henricum Camerarium. Eratq; Parens tanto facilior & promtior, ut ingenio ejus obsequeretur, quod frater natu major Jacobus patris vestigijs insisteret in studio Theologico; & alter frater Johannes medicinæ animum applicaret. Itaq; Lucas noster studio Juris immori cogitabat. Sed ut olim magnus ille Religionis reformator LUTHERUS; ita & ipse divinâ providentiâ ab eo studio retractus est. Cum enim primogenitus, quem Theologiæ studio addictum fuisse diximus, diem suum obijsset, parens apud hunc filium suum instituit, ut quemadmodum nominis; sic & facultatis, quam ipse profiteretur, hæres esse studeret. Ipse, etsi natura aliud suadebat, parentis tamen voluntati libenter cessit. Idq; maximè quod Avunculus ejus Dn. D. Jacobus Bordingus

(Vir

(*Vir ad omnia summa natus, cujus si laudes justo vellem de-prædicare encomio, dies me deficiat*) *idem suaderet*, addens si sibi liberi essent, non permissurum se, ut quisquam eorum Juris studio operam daret; quod sui ævi Ictos plerosq; non rectâ ad virtutem & pietatem incedere videret!

Bacmeisterus *igitur, tum patris voluntatem & Avunculi autoritatem lubens sequeretur, relicto Juris studio, Theologiæ se totum dedit. In qua primum Præceptorem habuit τὸν ἐν ἁγίοις M. Davidem Lobechium locos Philippicos anno æræ Christianæ* CIↃ. IↃ XCIII. *profitentem. Interim verò artium ac linguarum studio se prorsus non abdicavit; sed cum Theologiâ sedulò conjunxit; quod illarum famulitio hanc carere non posse, satis intelligeret. Ergò cum crebris exercitijs, vigilijs ac labore in defesso ad virtutis culmen acriter contenderet; ac satis jam & bonis literis & eloquentiæ facultate instructus esset: dignus visus fuit, cui summus in Philosophiâ gradus publicè conferretur. Æquum enim erat, ut qui ad Virtutis templum tantoperè anhelârat; is à contiguo honoris fano non excluderetur. Anno itaq; à partâ per Christum salute M. D. XCIIII. de voluntate Patris Magisterij gradum assumsit Decano spectabili, & simul Rectore Magnifico* Dn. Magno Pegelio *Mathematum Professore. Ab eo tempore legendo & disputando M.* Bacmeisterus *eam sibi nominis existimationem comparavit, ut omnium in se oculos animosq; converteret. Neq; enim insignis quam longo usu ac studio indefesso sibi acquisiverat, eruditio, tam fuit invida ut noluerit; aut tàm languida ut non potuerit ad alios suæ bonitatis rivulos derivare. Nam*

Χρὴ μεσσῶν θεραπόντα καὶ ἄγγελον, εἴτε πελασσὸν
Εἰδέμεν σοφίας, μὴ φθονερὸν τελέθειν.

Et eruditionis fructus, *dicente Tullio*, tum maximè percipitur, cum in proximum quemq; confertur.

Cæterum M. Bacmeisterus *licet jam ferè in omnium ore esset, nondum tamen se consequutum putavit, ubi studiorum suorum metam figeret. Itaq; uberioris ingenij cultus ergò*, Witebergam *primum illud Ecclesiæ Christi quasi redivivæ hospitium concessit: ubi tribus Clarissimis Theologis D.* Hunnio, *D.* Gesnero *&* D. Rungio *p. m. sedulo operam dedit; & θεόπνευστον V. & N. Testamenti scripturam nocturnâ diurnaq; manu versavit: adeò ut studio vehementi cum indefesso precandi ardore conjuncto brevi magnum eruditionis Theologicæ thesaurum sibi comparaverit. Factum est autem cum inibi degeret, ut operâ* Oligeri Rosencrantzij *in familiam Nobilis & eruditi Viri Dn* Andreæ Caspari ab Ebeleben *Præfecti aulæ Illustriss. Proëlectoris Saxoniæ adsciscereturr. Is filium habebat unicum, quem M.* Lucæ Bacmeisteri *institutioni committebat. Verum cum se frustra laborare videret nec discipulum docilem aut morigerum haberet, pertæsus biennij labore resignavit illud officium & anno* CIↃ IↃ XCVII. *domum reversus Theologiæ studio ut antè, incubuit. Anno sequenti cum commoda se obtulisset occasio in* Flandriam *&* Brabantiam *usq; excurrit.* Lovanienſem *quoq; Academiam & in eâ* Lipsium *Philologum illum accuratissimum vidit & salutavit. Ex hac peregrinatione denuò suis sospes & incolumis redditus. Cum virilis jam ætas appropinquaret, tandem de certâ aliquâ functione fuit sollicitus. Nec tamen ambitiose ullam quæsivit, sperans* DEUM *suo tempore locum sibi honestum monstraturum.* Nec confisa DEO spes hæc confusa recessit. *Nam divinâ sic disponente gratiâ, cum nihil tale unquam appeteret, ab ULRICO Principe sempiternâ memoriâ di-*

gnissimo Ἰεανθρωπήσεως anno millesimo sexcentesimo ad Theologiæ in Regiâ hac scholâ Professionem publicam vocatus & duobus, qui tantum in Principum Collegio Theologi antè fuerant, tertius superadditus, cum summa omnium approbatione ac totius Universitatis applausu receptus est. Tum vero animum etiam ad conjugium applicans, Virginem tùm lectissimam ac pudicissimam ELISABETHAM Dn. Nicolaj Papkenij Civis quondam hujus Urbis honesti & primarij, filiam domum duxit atq; larem sibi constituit. Spartam interim, quam nactus erat, pro virili ornare studuit, & hoc sedulò egit cum voce tùm scriptis, ut studiosam juventutem non ad leviculam aliquam ac superficiariam, sed veram ac solidam Theologicam scientiam, pietatemq; perduceret. Quâ quidem industriâ longè majorem sibi nominis existimationem ac famam peperit, & ad altiora viam paravit. Hinc cum anno Ἰεοτοκίας M. DC. IV. D Johannes Frederus Theolog. Profess & Superintend. Circuli Rostoch cœtui mortalium interesse desijsset: nec adhuc magno illi Davidi Chytræo, qui ante triennium mundo excesserat, successor idoneus inventus fuisset; tandem in Collegio Professorum Principum D. Chytræo surrogatus est M. Paulus Tarnovius: Fredero verò in Professione M. Elhardus Lubinus. Sed ad Superintendentis officium M. Lucas Bacmeisterus ab Illustriss. Principe CAROLO Duce Megapolitano, Commendantibus ipsum summis Viris D. Clingio, D. Cothmanno & D. Hajone, legitimè vocatus est. Quem quidem locum nec ipse unquam quæsivit nec optavit unquam; sed divinitus oblatum ac venientem accepit. Neq; enim ex illo erat hominum genere, qui non exploratis ingenij sui viribus quidvis officij ambiunt, & altiora se quærunt; æmulati temeritatem Icari, qui cœlum ipsum petens stultitiâ

pœnas

pœnas audaciâ suâ dignus tulit: quippe in mare prolapsus
Icarus icareis nomina fecit aquis.
Sed ad Bacmeisterum nostrum *redeo: qui ad sublime Inspectionis multarum Ecclesiarum Culmen evectus cum satis intelligeret, quantum sibi munus, quam grave, quam sublime esset impositum, omni omnium animi virium intentione in id incubuit, quo provinciam tàm præclaram, tam amplam rectè administraret. Ideò à studijs sacris ac cæteris utriusq; officij partibus seriò ac ritè obeundis, nullo unquam tempore illum aut commodum abstraxit, aut voluptas avocavit, aut somnus retardavit. Cumq; hac ratione summam apud omnes singularis prudentiæ, eximiæ eruditionis ac pertinacis industriæ laudem consequeretur; dignus habitus fuit cui* summi in Theologiâ honores ac Doctoratus insignia *ritu solenni conferrentur. Id quod felici auspicio cum summa omnium ordinum congratulatione in celebri hac Academia 3. Iduum Junij Anni 1605. peractum est, promovente amplissimo pro tempore Facultatis Theologicæ Decano D* Valentino Schachtio *Theolog. Profess. primario. Quæ quidem Promotio vel eo nomine memorabilis est, quod competitores ejusdem honoris habuit, ac uno eodemq; die æquali gradu ornatos vidit* Viros tres alios clarissimos, & Excellentissimos *nempè* M. Paulum Tarnovium, M. Eilhardum Lubinum *utrumq; Præceptorem quondam meum venerandum. &* Dn. Thomam Lindemannum, *lumina quondam hujus Academiæ ac urbis splendidissima. O vero egregium præstantissimorum Virorum quaternionem! Quorum utinam perennis nobis fuisset usura! Utinam fata terris non invidissent! Sed eheu!*

Invida mors miseris si quod videt utile terris
Haut sinit esse diu!

Itaq; insignem Virorum horum præcellentißimorum quadrigam jam abstulit atra dies & funere mersit acerbo. O fluxam & fragilem rerum humanarum conditionem! Ut nullum mortalibus bonum est perpetuum! Nam Quicquid habet ortus, finem timet: ibimus omnes! Ibimus! Sed quorsum justus me dolor apribit? revertatur undè digressa est Oratio. Cum jam summo honore omnibus esset conspicuus D. Bacmeisterus, nec tamen eo tam superbiret, quam alijs fideliter inserviret, eáq; jam apud omnes esset existimatione, ut nihil ei quod quidem in summo Theologo requiri jure posset, deesse videretur; non potuit Vir publico bono natus ad majora non provehi. Et rerum omnium moderatrix Dei opt. max. providentia servum probum & fidelem, quod super pauca fuerat fidelis, super plura constituere voluit. Hujus igitur impulsu Reverendißimus & Celsißimus Princeps ac Dn. Dn. JOAN-ALBERTUS DUX Meg. præter Episcopam Rostoch. Diœcesis etiam Gustrovienſis Circuli Ephoriam D. Bacmeistero commendandam censuit. Proinde Anno à salute generis humani M DC XII. per Gebhardum Moltken & Joachimum Oldenburgium nobilißimos Viros hanc ipsi provinciam clementer detulit, & viro præter cætera venerabili etiam senio conspicuo Dn. Doct Jacobo Colero succedere jußit. Etsi vero jam ante sibi munus satis oneroſum incumbere non ignoraret: divinæ tamen vocationi reluctari nefas duxit. Ideoq; Anno 1613. Gustrovium concedens susceptο munere strenuè perfunctus, idq; non nisi cum vitâ ipsâ deponere voluit. Tametsi enim splendidis non semel vocationibus aliò invitabatur; ut puta Hamburgum Anno Æræ Christianæ M. DC. XVI. & huc Rostochium Anno M. DC XXVI: tamen, quod isti loco semel suam operam dicaverat, isq; ejus

præsentiâ carere non posse videbatur, in statione constanter permansit. Quantâ verò fide, diligentiâ, dexteritate, vitæ morumq; integritate officium istud obierit noster Ephorus præstat silentio obnubilare quàm frigidè deprædicare. Et vereor, Auditores honoratissimi, ne vestrâ patientiâ & æquanimitate abutar, aut tempori injurius sim, si porrò me in tàm altum Oceanum immittam. Verumtamen cum, quæ hactenus dicta sunt parum solidæ laudis, utpote non exiguâ sui parte aliena & extrinsecus accidentia, habere videantur; porrò quantum propriorum bonorum possederit, & qualem se toto officij præsertim tempore præstiterit, paucis mihi edisserendum puto. Sæpè illud Senecæ aureum mirari & exosculari soleo: Qui, si volueris, inquit, veram hominis æstimationem videre, & scire qualis sit, nudum inspice: Deponat patrimonium, deponat honores, & alia fortunæ mendacia. Corpus ipsum exuat, & animum intuêre qualis quantusq; sit, suo an alieno magnus? *Bellum hercle consilium & sapiens! Res enim* unaquæq; *judicio Aristotelis est id,* quod optimum est in eâ. *Animo autem quid in homine præstantius? quæ* divinæ particula auræ, *cujus corpus diversorium tantum & habitaculum est. Jam qualis quantusq;* D. Bacmeisteri *fuerit animus, & quam non tàm alieno quam suo magnus, si prolixè dehinc demonstrare coner, actum agere videar: Cum id ex ijs quæ sparsim anteà tacta sunt, haut difficulter colligere liceat. Illud hoc loco monuisse sufficiat,* Episcopum D. Bacmeisterum *fuisse; fuisse* dispensatorem mysteriorum divinorum. *At in dispensatore nihil requiritur, nisi ut* fidelis *inveniatur: Et Episcopum oportet esse* irreprehensibilem. Utramq; laudem *Antistes noster optimo sibi*

jure vendicat. Nec quisq; credo reperietur qui eam ipsi non ambabus largiatur manibus. Quid enim? an horum eum immemorem fuisse dicemus? an qui alios officij admonere, ac intra ejus cancellos retinere debebat, ipsum quod sat erat muneris, neglexisse putabimus? Num quem exemplar bonorum operum alijs esse conveniebat, ejus vitam ad legem pietatis ex honestatis accuratè non exactam fuisse arbitrabimur? Quam severè cœlestis Paterfamilias officij sedulitatem vitæq; integritatem à servis suis exigit! suavibus promissis invitat! quam gravibus minis terret! Hoccinè Eum latuisse credemus, qui divinæ pariter & humanæ sapientiæ thesaurum in pectore suo gestabat preciosissimum. Certè quàm fuerit fidelis in conservandâ & propagandâ puriori verbi cælestis doctrinâ; in docendo, monendo, consolando: Ecclesias visitando, eorum negotia fideliter expediundo: in precibus pro salute Ecclesiæ fundendis, res ipsa satis loquitur. Quam enim ille Veritatem Religionis semel ex sacro Scripturæ codice adolescens didicit & percepit, eam constanter & fideliter ad extremum usq; halitum retinuit & defendit. Quod quantâ curâ, quanto cum periculo fecerit, ij demum rectè intelligent, qui superiorum rationem temporum rectè secum reputabunt. Quid enim Religionis exercitio proximis annis in hac provinciâ fuit inconstantius? quid mutabilius? quoties vera & orthodoxa doctrina periclitata? quoties hinc indè profligata? Et heterodoxa jam Calviniana, tùm Pontificia per vim intrusa? quoties indè D. Bacmeisterus utpotè in acie constitutus, in extremo fortunarum imò & vitæ periculo fuit versatus? quam varias & gravissimas difficultates Religionis ergò fuit expertus? Verum animosè pertulit omnia, adamantinum pectus adversus omnes fortunæ machinationes gerens. Hoc enim Christiani est, ne-

dum

dum Anteſignani cœtus Chriſtiani. Nam ut olim M. Baſilius Modeſto Valentis Imperatoris Præfecto maſculè reſpondebat; Nos cætera humiliores omnibus ſumus hominibus: Ubi verò de fide, deq; Chriſti pietate agitur, minimè humiles aut timidi apparemus quod ipſum execrari DEUM videremur, ſi quicquam ex ejus dignitate detrahi pateremur. Quanquam igitur varijs perſequutionem procellis, turbinibus ac decumanis fluctibus periculosè ſæpè fuit jactatus, naufragium tamen fidei nunquam fecit. Quin potius ſalutiferam Relligionis navim, tanquam peritus ejus gubernator integram illæſamq; per Dei gratiam conſervavit. Dum Eccleſias ſuæ fidei concreditas fideliter à ſyrtibus Heterodoxias præmonuit; ac quomodo tùm periculoſa Papatus Charybdis, tùm exicioſa Zwinglio-Calviniſmi Scylla prudenter declinanda eſſet, ſeduló cum voce tum ſcriptis demonſtravit. Hujus rei libri quos edidit ære perinnores documenta ſuggerunt ad omnem memoriam illuſtriſſima. Mitto jam cætera tàm didactica quam polemica ejus ſcripta: Unius parvi quidem ſed utiliſſimi libelli non poſſum quin expreſſam mentionem faciam. Illius ſcilicet quo Reformatorum ut ſe vocant, ipſorummet de veritate Religionis noſtræ atq; ad ſalvandum ſectatores ſuos efficaciâ, comportavit judicia atq; teſtimonia. Quo vel ſolo non paucos in agnitâ veritate confirmavit, vacillantes corroboravit, labaſcentes erexit. Nec interim Vox ejus quieſcebat, ſed ad confirmationem doctrinæ veræ, falſæ autem confutationem divina oracula frequenter è ſuggeſtu ſonabat. Erat enim, ut noverunt, quotquot audiverunt, ſingulari quadam concionandi εὐδυναμίᾳ ac docendi dexteritate præditus; quâ cum monendo, coarguendo, conſolando; tum heterodoxos confutando rectiſſimè utebatur.

Mode-

Modestiæ quoq; semper ac φιλησυχίᾳ studuit; adversariorumq; calumnias & obtrectationes æquo animo, fretus conscientiæ testimonio, pervicit; & invidorum sinistra de se judicia contemsit. Quorum hanc esse indolem benè noverat, ut quando rem per se laudabilem apertè detestari nequèunt, in vitium illi vicinum detorquere conentur: fortem audacem vocitantes: Justum severum & crudelem: prudentem astutum & malignum: magnanimum, superbum: liberalem & misericordem, prodigum: parsimoniæ studentem, avarum & tenacem: pacis & concordiæ amantem, pusillanimem ac meticulosum. Quantâ porrò curâ, quantâ fide, quam mirâ dexteritate res Ecclesiasticas tractaverit; omnia ut rectè & decenter ad Ecclesiæ ædificationem fierent, ordinaverit: ea sæpè quæ alijs intricatissima, ac tantum non sphyngis ænigmata, aut nodi Gordij videbantur, mirandâ quadam facilitate expediverit: quot dissidia gravissima composuerit: quot difficilia Ecclesiarum negotia feliciter confecerit; novistis qui illustris Consistorij Assessores estis, Viri Clarissimi; noverunt qui ejus in negotijs agendis, Collegæ ac Coadjutores fuêre; novimus, qui ejus ἐπισκοπῇ subfuimus omnes O jacturam tanti Viri irreparabilem! O lumen, ô columen incomparabile! Quis abhinc collapsas hoc misero ac fatali bello res Ecclesiasticas restaurabit? quis rationes perplexas extricabit? Quis miseris Exulibus Ecclesiarum Ministris redux & ad res redintegrandas fautor & autor erit? Quis proventus ac reditus templorum Parochiarum abalienatos sagaci judicio restituet? Quis denique templa devastata, domos parochiales concrematas & infinita alia in statum pristinum reducet, hoc rerum Ecclesiasticarum peritissimo Viro è terris sublato? Ut nihil dicam quam frequenter, quam ardenter Vir Dei vacillantem cum universæ, tum imprimis harum regionum

Eccle-

Ecclesiæ salutem in precibus suis summo ejus Regi Christo commendare solitus sit! Nec dubium est, quin misericordiæ Domini hujus & aliorum piorum votis exoratæ referendum, quod hactenus nondum planè pleneq; sumus consumti. Uudè vereor ne Atlante hoc remoto cœlum Ecclesiæ in his oris aut ruat aut certè non exiguam residuæ at quantillæ! firmitatis suæ partem deperdat! Sed nolo malè ominari! Vivit, eja! vivit Christus Rex & caput Ecclesiæ, sedens ad dexteram Patris Omnipotentis! quem votis ardentibus invoco, ut calamitates præsentes clementer mitiget, imminentes averruncet & Ecclesiæ suæ halcyonia, ac salutaria quaq; tribuat! Age verò in vitâ *qualis fuerit* D. Bacmeisterus *tàm publicè quàm privatim porrò mecum considerate. Ubi sanè anxiè laborandum mihi non est, ut vitam & mores hujus Viri cum doctrinâ & officio pulchrâ quadam harmoniâ suaviter semper concordasse, pluribus demonstrem. Testis est hæc Urbs in quâ non natus solum ac educatus, sed & publicum munus aliquot annis cum laude sustinuit. Testis Gustrovium, ubi annos cumplures docuit, & in omnium oculis ac animis versatus fuit. Testis Megapolis tota, quæ consilium in providendo, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, laborem in negotijs, fortitudinem in periculis, sanctimoniam in moribus in hoc Viro nunquam desideravit. Non evagabor igitur licentius, nec longiori sermone patientiam vestram, Auditores Humanissimi, morabor. Ipsè etenim hoc mihi facilè largiemini, minimè fuisse* Doct. Bacmeisterum *ex eorum numero, qui benè docent quidem, sed malè vivunt: adeoq; quod unâ manu ædificant alterâ diruunt, lingvam* DEO, *animam autem Diabolo offerentes. Quia typum fidelium se præbuit, quaq; docuit & scripsit, vitâ moribus exemplo cæteris ostendit, quando neutrum sine altero*

prodresse cognovit. Nam quæ suaseris nisi facias ipse parum alios movebunt: nec movere satis poterunt, nisi quæ sentis & agis, docere commodis verbis, & oppugnantibus etiam si opus sit resistere valeas, *inquit alicubi Nazianzenus. Ergò pietatem in Deum, dilectionem in proximum, humilitatem, concordiam, humanitatem & cætera virtutum ornamenta non speciosis tantùm verborum phaleris ostentare, sed egregio potius vitæ ac morum exemplo auditoribus commendare noverat Episcopus noster. Nihil ipso religiosus, nihil humanius, nihil mansuetius, nihil benignius, pacis ac concordiæ illo amantior nemo; nemo humilitatis studiosior. Oderat omnem, fastum, oderat luxum, oderat reliquam vitiorum turbam, quibus è religioso pectore profligantur virtutum ornamenta. O virum eximium & dignis laudibus evehendum! Præsertim cum tàm amabili virtutum choro comitem semper addiderit patientiam. Nam*

Vidua est virtus quam non patientia firmat

Eam igitur non publicè solum, quod supra demonstratum, sed & inter privatos parietes ac in domesticis calamitatibus semper præstitit. Nactus quidem erat ut supra attigi Conjugium ex voto: sed tale tamen quod vocis ἔτυμον satis exprimeret. Conjugem inquam, habuit piam, honestam ac suavem: quâ cum totos triginta septem annos in summo amore, pace ac concordiâ suaviter vixit. Quod si cui in vitâ maritali contingit, nævis se prædicare habet felicem ter & amplius! Quid! quod non tranquillum modo & diuturnum, sed & sex liberorum procreatione fœcundum fuit tam piorum Conjugum conjugium. Quos inter est Vir Reverendus & Clarissimus Dn. M. Lucas Bacmeisterus *SS. Theolog Professor, meus olim discipulus, nunc Fautor & Amicus summoperè colendus. Qui, cum*

fami-

familiæ Bacmeisterianæ spem potissimam famamq; sustineat; & patri Avoq; cognominis sit; ut utriusq; vestigia præmat, ac venerabilem Lucarum ordinem non tàm compleat atq; absolvat, quam ampliet & perennare faciat, medullitus vovemus. Alter filius est Vir juvenis Præstantissimus & doctissimus Dn. Nicolaus Bacmeisterus Juris Studiosus: qui, sicut Avum maternum & Avunculum Clarissimos Viros nomine refert, ita eosdem etiam omine, ac justâ virtutum æmulatione ut exprimat, similiter optamus! Ultimus natorum erat, dum viveret florentissimus juvenis Jacobus SS. Theol. in hac Academiâ Studiosus solertissim[illegible] quem nisi terris invidisset Olympus, non indignum fore tantis a[illegible]rente, avunculo, fratre certa jam spes erat. Sed rapuit, heu! no[illegible]videm properantior vis & inclementia fati. Sic

Mista senum ac juvenum densantur funera; nullum
Sæva caput Proserpina fugit!

Filiarum maxima nata est, imo ut rectius dicam, non est amplius sed fuit Johanna, aviti nominis ac virtutum æmula, quæ in matrimonium elocata Viro integerrimo Christophoro ab Hervorden Civi quondam hujus urbis primario jam dudum inter vivos esse desuit. Ut & secundo-genita Elisabetha Reverendi quondam & doctissimi Viri Dn. M. Petri Willebrandi Ecclesiastæ apud Gustrovienses vigilantissimi, conjux, anno superiori è vivis sublata est: ac utraq; cum ingenti luctu, magnum orphanorum onus parentibus reliquerunt. Minima natu Sara Viri Clarissimi & Consultissimi Dn. Caspari Kochij Juris Licentiati ac Consiliarij Megapol. Uxor omni corporis & animi splendore conspicua, Patri superstes extrema pietatis officia exhibuit. Summus rerum humanarum arbiter inclytum hoc conjugum fratrumq; superstitum par diutissime servet, ijsq; quicquid felicitatis à Deo votis expeti potest largissimè tribuat!

Ita nimirum tergeminâ sobole D. Bacmeisterum *dotaverat divina benignitas. Ut istius Davidici veritatem cum summâ animi voluptate expertus sit:* Beatus es & benè tibi erit. Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ Filiæ tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum!

Verum enim verò sicut dulcedinis terrenæ poculum crucis amaritudine miscet Dominus, ac utramq; sortem pro lubitu suis charissimis dividit: Ita Viro sancto isthæc domestica felicitas sine crucis temperamento esse haut debuit. Et ut perpetua rerum in mundo est vicissitudo, nihil constans, nihil solidum & perenne: Sic potissima tantæ felicitatis pars repentè occidit, velut herba solstitialis.

Nam ut cætera taceam omnia, trium ut supra tactum est liberorum & duorum generorũ ante se vidit efferri funera. Quod certè non levia cordi ejus inflixit vulnera. Liberi enim ut decorde procedunt, *sicut proverbio Teutonico dicitur,* ita ad cor vicissim penetrant. *Aspicite regium Prophetam, quam acerbè obitum filiorum etiam pessimorum lugeat. Et nos* D. Bacmeisterum *suorum funera siccis oculis spectare potuisse putabimus? Nec tamen immodicè aut impotenter nimis casus istos graves ac acerbos tulit. Sed sui semper similis altissimis cordis vulneribus amuletum semper adhibuit patientiam, ac cum Jobo constanter dixit:* Dominus dedit, Dominus abstulit sit nomen Domini benedictum! *Neq; id mirum: Mens enim quæ forti intentione ad* DEUM *dirigitur, quicquid sibi in hac vitâ amarum sit, secundum Gregorium, dulce existimat: omne quod affligit requiem putat.* Plebeis quidem animis familiare *est (loquar cum Viro quodam excellentissimo)* nunc nimio mœrore ac diffidentiâ quati,

nunc

nunc inaniter tumere ſpe ac ferocia; haut ſecus ac ratis debitâ ſaburrâ carens, quæ modò huc fertur, modò illuc quovis flamine, tandemq; ventis ac irato mari debet ludibrium. Mens ſupra vulgus poſita, neceſsitati obſequitur, & quo fata trahunt, retrahuntq; ſequitur: concoquit temporum triſtitiam, donec dies olim gratâ vice reducat candidiores ſoles. *Et hic in electis Dei eſt inſignis Spiritus Sancti fructus, ut dolorem animi etiam ſummum vincant, ac Dei voluntate ſimpliciter acquieſcant, divinis ſe conſolationibus mirum quantum! erigentes. Vultis, hujus rei exemplum? ad noſtrum Μακαρίτην reſpicite & quid in ultimâ quam ad me dedit, Epiſtolâ de ſeipſo ſcribat, attendite.* Præter publica, inquit, privata etiam non deſunt mala, ſi tamen id mali nomen meretur, quo è malis eripimur. Amiſi enim & Ego filiam meam ELISABETHAM M. Petri Willebrandi Conjugem. Sed quid dico amiſi! imò ſaltem præmiſi. Paterna tamen εὐφημία amiſſionis vocem mihi exprimit. Et ipſe ego ingraveſcentis meæ ætatis, quæ jam ſexageſimum octavum annum attigit, ſentio incommoda; jamq; experior ſenectutem non venire ſolam. Undè quotidiè ingemiſco:

Qui me ſervaſti puerum, juvenemq; ſenemq;
Nunc fer opem miſero, Chriſte benigne, ſeni.

Meq; erigo promiſsione divinâ: Uſq; ad ſenectutem ego ipſe, & uſq; ad canos ego portabo: ego feci & ego faciam portabo & ſalvabo. *Hactenus verba Epiſtolæ. Quibus quid ſanctius? quid divinius? Certè ſi ſermo animi character eſt, ex his quantâ pietate, quantâ in cruce patientiâ, quantâ animi fortitudine præditus fuerit Epiſcopus noſter, luce meridiana clarius ef-*

fulget. Sed & senectutem suam, quam honestam ac magnam divinâ benedictione consequutus est, quo tulerit animo, non minus inde claret. Habet senectus sua procul dubio incommoda. Nam ut Poëta canit:

Sanguis hebet, frigent effætæ in corpore vires
Item —— tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatq; vigorem.

Hinc præter alia infirmitas senum ea non rarò est, quæ baculo aut scipione, cui innitatur opus habeat. Noster ergo senex venerandus, quibus & qualibus usus est fulcris? quibus innixus est scipionibus? precibus, *ait ipse,* & divinâ promissione. *O pectus divinum! O hominem sapientem! His enim senectutis adminiculis quid robustius? quid securius?* Multum certè oratio valet justi, si seria fuerit! *Et* fidenti *ac nitenti divinâ promissione* omnia sunt possibilia: *nec* ab ipsis inferiorum portis superari potest. *Sed satis jam multa verba de* D. Bacmeisteri præclaro vitæ progressu *fecisse mihi videor: restat ut de* præclarissimo *ac beatissimo* vitæ ejus egressu *pauca addam. Paraverat se jam ab aliquot annis ad felicem ex immundo hoc mundo emigrationem, & ita composuerat sensa & cogitationes omnes, quasi qui morti quotidiè iret obviam. Ideoq; gravis aut terribilis ei non evênit; sed diuturnâ præmeditatione jam quasi familiaris reddita fuerat. Quippe magnis ingenijs nunquam cara est in corpore mora; exire atq; erumpere gestiunt!* Et si sapientis animus, *teste Platone,* totus in mortem prominet, hoc vult, hoc meditatur, hoc semper cupidine fertur: *quanto magis pius quisq; hoc facit & cum Paulo,* dissolvi cupit, ut cum Christo sit. *Nam ut Cyprianus eleganter dicit:* ejus est mortem timere qui ad Christũ nolit ire; ejus est ad Christum nolle ire qui se non credit cum Christo velle regnare! *Noster ergò Antistes non solum assidua mortis cogitatione occupatus fuit, & maturè se ad eam composuit, sed & ardentibus sæpè votis expetivit, frequenter isthæc verba ingeminans:*

Vixi & quem dederas cursum pie Christe pergi *Ut & illa B. Augustini:* Eja Domine moriar ut Te videam, videam ut hic moriar. Nolo vivire, nolo mori; dissolvi cupio, & esse cum Christo, mori desidero, ut videam Christum, vivere renuo, ut vivam cum Christo.

Proinde sicut miles in acie constitutus mortem, ad quam velut præsentem se jam præparavit, non timet: Sic fortis hic Christi miles semper ita cogitationem omnem subductam habuit ac si illâ ipsâ horâ emigrandum esset. Cumq; sciret ut cuiq; mortali, & sibi viam lethi calcandam, & animam quidem æternæ gloriæ theatro illatum iri; exuvias verò animæ relinquendas telluri; Locum sepulturæ sibi dudum ante mortem elegit; quo mortalitatis suæ perpetuum in animo gereret monumentum, alios libenter ad sepulchrum comitatus est. Et hoc quidem eodem quo cœpit ægrotare die factitasse constat. Nam VII. Idus Octobr. anni superioris à deductione diversorum funerum, sole occiduo domum rediit lassus & debilis. Cumq; in quartum diem decubuisset, & multa veræ pietatis fidei, patientiæ ac constantiæ τεκμήρια edidisset, tandem fato ac naturæ concessit D. Lucas Bacmeisterus *Theologus insignis, Professor hujus Academiæ quondam percelebris, Superintendens Ecclesiarum emeritus, lumen quondam Patriæ nostræ nunc novum lumen cœlo additũ. Et decessit quidem quarto Idus Octobr. Sole medium cœli tenente. Anno* Christi *M DC. XXXIIX.* Ætatis *LXVIII.* Magisterij *XLIV.* Professionis Academiæ susceptæ ut & Conjugij *XXXVIII.* Doctoratus & Episcopatus circuli Rostochiensis *XXXIII* Rostochiensis simul & Gustroviensis *XXVI. Corporis tugurium hospite suo vacuum quinto post die sepulchro, quod sibi in templo Cathedrali dudum elegerat, honorificè conditum. Anima verò soluta corporis compage immiscuit se consuetudini cœlestium: Ubi nunc vitam verè-vitam inter cœlestes vivit, & ineffabili gloriâ ac gaudio æternum potitur. O gaudium super omne gaudium, extra quod non est gaudium!*

O nimium felix ô terq; quaterq; beatus.
Bacmeisterus, *isto qui jam æternum fruitur! Salve ô felix anima!* O salve multum perpetuumq; vale! Nos *tui consortio, tuo patrocinio licet orbati, memoriam tamen tui nullâ unquam oblivione deleri patiemur.* Quin,
Semper honos, nomenq; tuum laudesq; manebunt
Et: Ante fluet retrò conversо flumine Varnus!
Quam tuus è nostro labatur pectore vultus.
At Tu ô Cælestis Βεαθευτὰ, *clementer juva, ut universi & singuli ad quam eam divus* Bacmeisterus *suâ benignitate nunc possidet, gloriam serio aspiremus, anhelemus, penetremus, perveniamus! Interim curæ Tibi sit, O Præpotens mundi arbiter Ecclesia cum universa, tum hujus provinciæ tanto Pastore orbata! tanto Præsule ac Doctore viduata! Suffice Virum, cui non minus cordi sit sublime illud officium: quiq; miserè collapsas res Ecclesiasticas dextrè instaurare valeat. Sospita Illustrissimum ac Celsissimum nostrum Principem Patrem Patriæ Clementissimum: Serva hanc Urbem & Academiam, Seminarium Ecclesiæ fœcundissimum: Contunde ferociam hostium, & miserabilem hujus Provinciæ devastationem porrò prohibe. Largire pacem & tranquillitatem: morborum passim grassantium sævitiam depelle. Et tandem Nos omnes ac singulos Spiritu S. tuo ita guberna, ut ea suo quisq; loco cogitemus, dicamus, agamus, quæ Tibi placeant: Utq; nominis tui gloria & hominum salus ad mundi usq; finem ab omnibus in omnibus quæratur, promoveatur, consummetur.* DIXI.

Το ἐπιβάλλον μέτρος
Κάτθανε θεῖος ἀνὴρ, μέγα φῶς τε ὁ ΒΑΚΜΕΙΣΤΗΡΟΣ:
Φεῦ! Τῆς εὐσεβίης ἐξαπόλωλε κλέος.

MEMO-

MEMORIA

Viri admodùm Reverendi, Clarißimi, & Excellentißimi

Dn. LUCÆ BACMEISTERI, SS. Theologiæ Doctoris eminentissimi, ac Diœcesium, Rostochiensis & Gustrovienſis, Superintendentis & Ephori vigilantißimi, Religionis Lutheranæ propugnatoris eximii,

Qui completis LXVIII. Ætatis, XXXV. Inspectionis ſuæ annis Prid. Idus Octobr. circa horam X. ante meridianam Anni M DC. XXXVIII. in conſtante & exultante, conſolationisq; vivificæ plenâ fide & confeſſione JESU CHRISTI piè & placidè obdormivit; Exuviæ verò, XVII. Cal. Novembr. Guſtrovij in templo Cathedrali depoſitæ, generalem cum omnibus Pijs reſurrectionem expectant:

In ſolenni Hæredum Amicorum; Conſiliar: Principis: Reverendi Miniſterij: & Literatorum Præſentia, XIV. Cal. Maij, Anno cIↃ IↃ cXXXIX. Guſtorvij celebrata.

à

M. GEORGIO SCHEDIO, Scholæ Guſtrovienſis Rectore.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546/phys_0035
DFG

Benevolo Lectoris S.

NOn minùs seriô, quàm piè gentium Apostolus D. Paulus Hebræos in epistola ad eosdem scriptâ c. 13. v. 7, acclamat: Memores, inquiens, estote ductorum vestrorum, qui loquuti sunt vobis sermonem DEI; quorum imitamini fidem, considerantes, quis fuerit exitus conversationis illorum. Quo pio Scito sedulos *ductores & doctores* poscit Apostolus, ut doctrinam sinceram & incorruptam auditoribus proponant, vitamq; immaculatam ac benè compositam habeant, ut in illos illorumq; vitam alij, velut in exemplar aliquod excellens intuentes, vitam & ipsi suam moresq; dirigere atq; conformare discant; magna siquidem vis exemplorum sit in utramq; partem: Porrò *Auditores*, ut doctrinam cœlestem, quam doctores sedulô inspirârunt, monuerunt, institerunt, urserunt, excitârunt, agnoscentes conversationem, sermonem ac scientiam, quâ illi præierunt, suis nunquam animis deponant. Nec Apostolus hac de re suos solùm admonuit Hebræos; sed nobis idem seriò injungit. Ultimum præcipuè hoc ad auditores Verbi celici omnium seculorum quadrare, & sic etiam nos ligare, extra dubium est. Ductorum enim & Doctorum doctrina & mores quædam quasi forma nobis imitanda proponuntur. Beatos auditores, qui Apostoli mentem considerant! beatiores, qui quod exigit, peragere annituntur!

Huic ergo D. Pauli παραινέσει ego subscribens ex animo pio & grato crastini diei, qui erit XVIII. April. horâ VIII. finitâ concione matutina, memoriam acerbissimi luctus, qui huic *Ecclesiæ* ex obitu *Viri* quondàm *admodùm Reverendi Clariss. & Excellentiss. Dn.* Lucæ Bacmeisteri, *SS. Theol. Doct. eximii, Diœcesium, Rostoch. & Gustrov. Superintendentis vigilantissimi*, adeoq; nobis omnibus obtigit, recolere, *ejusq; vitam*, Oratiunculâ pro viribus descriptam, in Schola nostra, DEO volente, deponere constitui. Rogo autem quâ par est, animi submissione *Viros admodum Reverendos, Magnificos. Ampliss. Consultiss. Prudentiss. Clariss. Humaniss. adeoq; omnes politiori literaturæ deditos*, ut operis suis ad horæ spatium dilatis, ejus recitationi interesse, *Viriq; hujus de tota civitate, imò Regione optimè meriti vitæ periodum stylo humili* scriptam audire non detrectent. Præstabunt hoc ipso beatis μακαρίτῃ *nostri DOCTORIS Manibus* ultimum honorem ac officium: *Familiam* quoq; ejus *clarissimam* singulari sibi beneficio devincient: Egoq; officia mea nullo non tempore *vobis singulis* paratâ offero & exhibeo. GUSTROVII, XVII. Aprilis, Anno cIↃ IↃ cxxxix.

M. GEORGIUS SCHEDIUS, Scholæ Gustrov. Rector.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546/phys_0036
DFG

ORATIO

Memoriæ Viri admodùm Reverendi, Clarissimi, & Excellentissimi, Dn. LUCÆ BACMEISTERI, S S. Theol. Doct. &c. consecrata.

Exordium à brevitate vitæ humanæ.

EAmosissimum Persiæ Monarcham Xerxem, produnt annales, in campis Abydi ad Hellespontum totius Asiæ armatam explicuisse juventutem. Stabant circa Principem Prætoriani, & Satraparum nobilissimi. Ipse sedebat ebruneâ sellâ in summo montis fastigio, aureis excultus armis, & regium insigne capite gestans. Cydarin vocabant populares. Interim universa discriminis facies in oculis erat, armis insignibus equi, viriq; splendebant, & omnia intentiore curâ præparari solicitudo Prætorum, agmina sua inter equitantium ostendebat. Cultus opulentiæ barbaræ non alios magis honestabat. Illi aureos torques, illi vestem auro distinctam habebant scutulati operis, manicatasq; tunicas, gemmis etiam adornatas. Videbantur Babylonica texta, & vermiculata pictura: pavo pluma vestis; scuta ex puro putoq; auro formata, hastæ argento ornatæ, spicula auro præfixa. Addebant speciem magnitudini corporum galeæ cristatæ, ac pleraq; inania, sicut fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor solicitam expectatione mentem turbaverant. Tanta denique turba, quæ fluvios exiccaret, & montes rumperet, ignota etiam ipsis gentium nomina, & nomina verius, quàm auxilia. Speciosa tanti exercitus cultura, qui pedibus proculcabat materiam, cujus amore populi ferro dimicant, alium ingenti lætitiâ affecisset. At Rex Deorum honoribus

à suis cultus, & magnificentiâ mortalitatem supergressus, universas contemplatus copias, repente in Lacrumas resolutus est. Causam amici cum quærerent; non minùs scite quam verè respondit: Ex tanto hominum numero ne ullum quidem intra seculi decursum fore superstitem. Digna vox, & Rege digna magnifico! Imò, si veritati subscribendum, omni homine! Quàm nimia enim in prosperis futurorum oblivio? Contra fortunam, non satis cauta mortalitas est. Itaq; multi, quos indulgent sortis amicæ Genius cæcis evexit sordibus, prioris obliti conditionis, cum purpura mutavêre animum, & cæteros aversati mortales se quoq; mortales cogitare desiêre. O frivola pectora! ô cæca, ô valgida pectora! Vita hæc vita dubia, vita cæca vita ærumnosa, quam humores tumefaciunt, dolores extenuant, ardores exsiccant, acria infirmant, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt, solicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiæ jactitant, paupertas dejicit, juventus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & post hæc omnia mors interimit, universis gaudijs finem componit; ita cum esse desierit, ne fuisse putetur: Quid? Mors gaudijs finem imponit: Nequaquam. Tantis malis hæc vita repleta est, ut comparatione ejus mors remedium putetur esse, non pœna. Nam ideò brevem illam DEUS facit, ut molestiæ ejus, quæ præ feritate vinci vel tolli non poterant, temporis exiguitate finirentur. Denig; sanctus ille Idumæus, militiam esse vitam hominis super terram, liquidò effatur. Aspice mihi saltim abjectam mortalitatis originem. Quid fuisti! Sperma fœtidum: quid es? vas stercorum: quid eris? esca vermium. Non citra maximam periculorum in gluviem vitam hanc auspicamur.

fortunati inflati.

Augustin. in Origin. tract. ad illud Jacob. 4. Quæ enim est vita nostra.

Ambrosius serm. de quadrag. Mors gaudiorum initium.

Job. 7. 1.

Homo similis naufrago.

—— Puer ut sævis projectus ab undis

Navita nudus humi jacet, exclamat Lucret. 5. de nat. rerum. Cervarum & rupicaprarum pulli quamprimum vitam exordiuntur, revalescunt (Job. 39. v. 7) crescunt per agrum, & egressi non revertuntur ad eas. Infans contra occiso magis, quam nato similis, statim Lacrymis vitam auspicatur, & pannis jam sepulturæ involucrum initiatur. Animalium ea, quæ paulo ante nata sunt, sine magistro, naturâ duce, mammas appetunt, earumq; ubertate saturantur: Infantes alimentorum tenet necessariorum ignoratio, ita ut juxta se positis mammis magis possint esurientes flere, quàm sugere, adultiores aliquanto imbecillitatis auxilia mutuaturi à brutis. Accedit quotidianus sudor in parandâ annonâ: cum tamen aves sine patrimonio vivant, & in diem pecudes pascantur. Homini soli stulta inest cupiditas, ut in plures providendo annos, continuis se discruciet mœroribus, continuis laborum ergastulis. Nihilo minus interim genium curamus, quasi non solùm perditæ, sed etiam furiosæ luxuriæ dediti patrimonium, tanquam amaram aliquam sarcinam, quàm celerrimè abjiciendam statuamus. Adeò utilium juxta & noxiorum viget ignoratio! Armorum nos premit penuria, premit nos ignoratio artium, ita ut contra leviſsimam, quoq; minutiſsimorum animalculorum injuriam nullatenus tuti existamus. Et tamen homo arrogantis nomen sibi usurpare audet, cum omnium rerum inopiâ prematur. Delphicum istud saltim rimare elogium, & teipsum cognoscendo cum fastuoso Lydorum Tyranno beatus existes. Formatus est homo de pulvere, de luto, de cinere, (Innocent. de vilit. condit. hum.) quodq; vilius est, de spurciſsimo spermate, conceptus in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ; quodq; deterius est, in labe peccati: natus ad laborem, timorem, dolorem: quodq; miserius

σύγκρισις cum feris. ab ortu statim

In victus comparatione.

Nosce te ipsum.

est,

est, ad mortem. Agit prava, quibus offendit DEUM, offendit proximum, offendit seipsum. Agit turpia, quibus negligit utilia, negligit necessaria. Fit cibus ignis, qui semper ardet & urit inextinguibilis: esca vermis, qui semper rodit & comedit immortalis: massa putredinis, quæ semper fœtet & sordet. Num tibi igitur indigna videtur maximi illius Regis commotio, indignæ lacrumæ, quibus miseriam hominum deplorabat nullum usquam expertus malum? O lacruma humilis! tua est potentia, tuum regnum, tribunal judicis non vereris: amicorum tuorum accusatoribus silentium imponis: non est, qui te accedere vetet, si sola intraveris, vacua non redibis, magis crucias Diabolum, quàm pœna infernalis. Quid plura? Vincis invincibilem; Ligas omnipotentem; inclinas filium Virginis. Cum enim homo suæ vivat conditionis memor, fieri non potest, ut ullo tangatur terrestrium desiderio, ullâ detineatur Sirenum illecebrâ. Felices sane lacrumæ, quas benignæ manus conditoris abstergunt: & beati oculi, qui in talibus liquefieri elegerunt, quàm elevari in superbiam, quàm omne sublime videre, quàm avaritiæ & petulantiæ famulari. Una vita est, ad vitam respicere: Una mors peccatum est, est etiam animæ interitus. Alia autem, ob quæ nonnulli animis efferuntur, insomniorum visio sunt, veris rebus illudens, & fallacia animæ spectra. Si hac mente fuerimus, nec ob vitam præsentem animos attollemus, nec ob mortem nimium angemur. Quid igitur grave nobis accidit, si hinc ad veram vitam migravimus? si conversionibus, vertiginibus, saturitatibus, ac turpi illâ tributi exactione liberati, cum stabilibus rebus, minimèq; fluxis & caducis. parva lumina futuri sumus circa lumen illud magnum tripudiantes? Quæ nos angit vesania, vitiorum sitire absinthium, hujus mundi sequi naufragium,

Meritò Xerxes lacrymabit.

Hieronim. Lacrymarbis

Bernh. de cont. mundi.

Nazianz. vera vita.

Vitæ contemptus.

Bernh.

vitæ

vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium; & non magis convolare ad sanctorum felicitatem, ad angelorum societatem, ad solennitatem supernæ letitiæ, & ad jucunditatem contemplativæ vitæ, ut possimus intrare in potentias Domini, & videre superabundantes divitias illas bonitatis ejus. Mortis accessio est vitæ æternæ successio. Magnorum Virorum funera fragilitatis nos humanæ admonent, & suo pheretro scrupulos injiciunt cogitandi; quid fuimus, quid simus, quid erimus: denique, ut in isto cogitationum æquilibrio virtutem sectemur ducem, & ad illum collimemus scopum, quem ipsi appetiêre, & feliciter consequuti sunt.

θάνατος γενναίων, ἐστὶ ἡμῶν διδασκαλία.

Illustres sanè Beatissime Doctor, Luca Bacmeistere, Fautor & Promotor, dum adhuc superstes eras, plurimum venerande, hasce sensuum detorsiones auges, promoves, consummas, dum exuvijs tuis, longiore etiamnum vita dignis tristes, sed debitæ parantur exequiæ. Tu quidem eluctatus es omnem miseriam, triste mundi hujus, pelagus, supergressus es, tegitisti portum, nactus stationem in altera illa vita. Nihil jam restat, nisi ut beatissimi Manes suo potiantur honore, & justis solennibus solutis æternitati commendentur: & quanquam suâ sponte Virtus, Pietas, Doctrina satis oblivionis tela inhibere queant: nostri tamen officij erit, pauxillum duntaxat de Vita magni hujus Viri disserere. Fas est, ex ipsa poscit æquitas, ut Doctorum nostrorum memoriam colentes, vitam eorum imitari annitamur. Quod quidem demum fit, cùm aliorum de Republica Christiana benè meritorum audimus encomia, cedro digna. Salustius in bello Jugurthino refert, Q. Maximum, P. Scipionem, præterea Urbis Romæ præclaros viros dicere solitos, cùm majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem

Hebr. 13. 7

tem accendi, scilicet non ceram illam, neq; figuram tantam vim in sese habere : sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neq; prius sedari, quàm virtus eorum famam atq; gloriam æquaverit.

In Timoleont. Quidni liceat homini, ad imitandum nato, cum Plutarchro ita se gerere, καὶ ὥσωερ ἐν ἐσοπτρῳ κοσμεῖν καὶ ἀφομοιῶν πρὸς τὰς τῶν ἄλλων ἀρετὰς τὸν βίον, tanquam in speculo ornare & componere vitam ad alienas virtutes? Præstant id potissimum Parentationum solemnes consuetudines, quas ab condito indè mundo viguisse ad defunctorum busta passim loquuntur tàm sacræ, quàm profanæ historiæ. Vestigijs ergò insistens antecessorum hâc horâ, Viri admodum Reverendi, Clarissimi, Excellentissimi, Dn. Lucæ Bacmeisteri, S S. Theol. Doctoris eminentissimi Rostoch. & Gustrov. Diœceseos Superintendentis vigilantissimi, Mecænatis mei ætatem honorandi Manes *funebri Oraciuncula propitiare*, curriculum *nempè* ejus delineando, res in Ecclesia gestas consignando, & placidam ad plures emigrationem scriptis exolvendo, *mihi proposui*. *Quod dùm simplici Minerva & crassa annitor exequi stylo, nullis Rhetorum lenocinijs suffultus maximoperè* Vos, Auditores Magnifici, Reverendi, Clarissimi, Consultissimi, Amplissimi, Literasissimi *solicito, ut exiguum horæ spacium attentâ mente tanti* Viri fatum *audire non detrectare velitis*. *Erit id mihi commodum & gratum, ut eò integriore & præsentiore animo decurram campum, quem decurrendum præfixi*. *Exhibebo brevi stylo integrum* stadij Bacmeisteriani systema, nec vestram Benevolentiam *diutino detinebo raucore*.

Propositio.

Vitæ Bacmeisterianæ Protasis.

Catonis *oraculum est*, Patriam *potissimum in delectu militari spectandam : & addit*, ex agricolis & viros

l. 1. de re rustica c. 1.

fortis-

fortissimos, & milites strenuissimos gigni. Causam requiris? quoniam profectò locorum asperitas hominum quoq; ingenia durat. Fortior miles ex confragoso venit: segnior est urbanus & verna. Adeò ex agris supplendum videtur robur exercitus; præsertim cùm hi assueverint hyemem & æstatem juxta pati, humi requiescere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare. Talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus, non armatus hostis formidolosus. Hoc si armata poscit militia, quid de togata sentiendum?

Viri fortis. & milites strenuiss. ex agricolis.

ἅπας μὲν ἀετῷ ἀὴρ πεφύκεν,
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς

Eurip.

Omnis quidem aër aquilæ penetrabilis,
Omnis verò terra viro forti patria.

Quemadmodum etiam ἀνδρὶ σοφῷ πᾶσα γῆ βατὴ ψυλῆς γὰρ ἀγαθῆς πατρὶς ὁ ξύμπας κόσμος, quælibet terra homini sapienti est pervia; animæ namq; fortis universus mundus patria est: Nihilominus cùm alius atq; alius impetus animos rapere soleat, certisq; affectibus, ad dicere: ille nimirùm spiritus, qui singulis regionibus proprius, nascentibus hominibus patriæ habitum & cupiditates statim ingenerat, Patria meritò suspicitur. Hinc illa ab antiquo vitia, & Patriæ sorte durantia, quæ totas in historijs gentes aut commendant, aut notant, ut istic naturalis levitas populos agat, turbidisq; incerta consilijs: illic pingues gravesq; animi tristi superbiâ, tanquam specie arcanæ sapientiæ ferociant: Illi sitim non tolerent; alij in mutationem, nec provisa consilia, temporarijs ingenijs incumbant: apud cæteros placari non posset ultionis ingenium; Rursus virtutum æternitas, velut hæreditatũ jure sancita; in quibusdam simplex fides. in alijs acumen ingenioram, in pluribus torrituđo. Adeò ad consequen-

Patria hominum commendat ac dedecorat.

dam ingenij rectitudinem conducit Patria. Ea autem fuit piè nostro defuncto Doctori Rostochium, inter cæteras Germaniæ, cujus ad Boream limes est, Principes urbes, non solum Civium frequentia, ædium templorumq; magnificentiâ, nec non Fossarum murorumq; congestis aggerum molibus munitorum robore ac decore, verùm etiam celeberrimo literario & mercatorio emporio, rerumq; penitus omnium, quæ ad vitæ communis necessitatem pertinent, copiâ ad Varnum fluvium egregiè satis florens. Hanc urbem primùm ex viculo piscatorio, & Kessini, Urbis olim regiæ, cadavere emersisse, Pribislao II. ultimo Wagriorum, Herulorum, Obotritarum, Polaborum, Circipanorum, Kissinorum & Vandalorum Rege potentissimo, sceptra tenente, constans scriptorum fides tradit. Cumq; tenui primum origine paulatim excresceret, tandem

------ hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Adeò ut potentissimis nonnunquam Regibus litem moverit, & haud rarò palmam obtinuerit longè insignem. Ubi vero Phœbus & Pallas, literatorum Dij, domicilium illic fixêre, repente in tantum hæc Urbs Musas amplexa fuit, ut circa annum Christi 1596. viginti tres Doctores, duos Licentiatos, viginti quatuor Magistros, quadraginta & unum Ecclesiæ Ministros suis ex Alumnis hæc Urbs viderit, habucrit, coluerit. I nunc Mome, & cuncta elevans, ex lustro tuo tantum Doctorum indigenarum numerum, hac tempestate viventium, profer & prode. Hac in Urbe, ante quatuordecim, duobus annis demptis, lustra, Anno nempè τῆς χειροτονίας CIↃ IↃ LXX. die 11. Novembr. paulo ante horam quintam vespertinam, in hoc Orbis commune systema prosatus fuit: & Patre quidem Viro admodùm Reverendo, Clarissimo, Excellentissimo, Dn. Luca Bac-

mei-

Rostochium Lindeberg. l. 5. c. 1.

Rastoch. Viris doctis refertum.

Nascitur L. Bacmei

Patre Doct. Lucâ.

meistero, SS. Theolog. D *qui cum in* Witebergensi Lyceo, *magno illo* Philippo *uteretur, ab eodem primùm* Sereniſſimo Daniæ Regi Chriſtiano III. *p. m. Pædagogum pro filijs & nobilibus adoleſcentibus in aula quærenti, commendatus triennium iſti officio præfuit. Reverso inde* Leucoream, *uti & defuncto* Rege, *Vidua* Regina Dorothea, *ex Illuſtri Saxonum Familia, Concionatorem aulicum obnixè quærebat. Miſsus igitur illuc denuò dictus* Bacmeiſterus, Pater noſtri Doctoris ἐν ἁγίοις, *cùm in ipſo quoq; officio cùm* Reginæ, *tùm cæteris aulam ſectantibus probaretur, facilè omnium ſibi benevolentiam procatus eſt. Vivebat tùm in aula* Jacobus Bordingus, Antverpia-Batavus Medic. Doct. experientiſſius, Vir egregij ingenij, *utpotè Græcæ & Hebrææ, linguarum facilè principum ita peritus, ut* Lutetiæ Pariſiorum *in Collegio Lexovienſi utramq; linguam publicè ſit profeſsus: Is Uxorem duxerat* Franciſcam Nigronam, Thermi Nigroni, Patritij Genuenſis, & Johannæ de Roſchelle, Patritiæ Avenionenſis Filiam. *Ex quo Conjugio plures illi quidem nati fuêre liberi, & inter hos major natu Filia* Johanna. *Hanc petenti* Bacmeiſtero *Conjugem* Bordingus *minimè recuſavit, ſed* Genetum *libenter ſuſcipiens usq; ad vitæ exodium ardenter fovit. Hiſce* Parentibus, *Illuſtri Genere proſatis, in lucem editus* ἅγιος *noſter* D Bacmeiſterus, *mox per ſanctiſsimum regenerationis lavacrum* Chriſto Servatori *offertur, & in Album fidelium inſertus,* Patris *nomine, nimirùm* Lucæ, *redimitus fuit. Ceterum cum teneris puerorum animis diſciplinæ inſtillandæ ſint, & fons ac radix Virtutis, honeſtatisq; vitæ inſtitutio proba audiat; Liberi ſiquidem ſuſcipiuntur non ſolum Patri, ſed etiam Patriæ, qui non modò Patri voluptati, ſed etiam qui aliquando uſui Reip. eſse queant: à primis*

Matre Johannâ.

Bonæ educationis commendatio.

In educatione omnia.

Eligendus præceptor filijs.

A tenèris assvescere multum.

usq; unguiculis Filio huic suo Parentes domesticæ disciplinæ curâ integritatem vitæ, modestiam, continentiam, pudorem, verecundiam, gravitatem, & quod omnium longè gravissimum, pietatem instillarunt. Pueris quippè benè educatis, omnia navigatione rectâ procedunt, nec parùm refert ad rectam Reip. institutionem, pueros esse benè educatos. Hinc nullum in educando Filio superflui luxus vestigium, nulla indulgentia; cum filijs, quò plus indulgetur. curruptior sit animus. Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti. Inepta lenitas Patris & facilitas prava, ut ne verè ament, causa est. Parentes severi juvenum filiorum non tàm cogitant vota, quàm commoda. Adolescenti in lubrico ætatis cursu non præceptor modò, sed custos etiam, rectorq; quærendus est. Vinea ab incursu hominum pecudumq; munitur; navi nauclerus quæritur; omnis vector nihil prius quærit, quàm cujus se diligentiæ credat: gregi quæritur pastor, canes adduntur custodiæ, arci præsidiarios imponimus: Adolescentiæ præstat Magistros præfici. Puerilis ætas infirma est viribus, invalida ingenio, immatura consilio: igitur custodibus eget. Unum est primum, idemq; medium & ultimum caput, educatio recta, ut nescias, utrum sit efficacius ad rectè vivendum, benè institui, quàm feliciter nasci. Exemplis vivimus, exempla tollunt, aut deprimunt; nihilq; magis efficax ad virtutem, quàm recti exempli apprehensio. In hoc autem ipso, huic suo Filio præire Pater, in hoc præire Mater, suâ uterq; industriâ filium ad studia, & honestam vitam excitare; virtutem illi, illi pietatem enixè commendare, denique inter privatos parietes nihil magis agere, nihil sibi desumere, quàm limam & notam illi censoriam adhibere, denique inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium jubere, atq; ex alijs sibi exemplum sumere. Eximiam sanè laudem ille in Filium amor

Paren-

Parentis Bacmeisteri *meritur; cujus si vestigijs Parentum quidam nostri ævi insisterent, liberorum melior foret conditio, melior Patriæ de illis præsumptio. Lacedemonij in hoc immortali laude mactandi, quorum cives civitatis jura perdebant, si negligentes in educandis liberis invenirentur. Refert Laërtius, morem fuisse Philosophis Atheniensibus, ut nulli Philosopho peregrino docere in Academia liceret, nisi sui priùs in Physicis & Ethicis profectus specimen dedisset. Erat enim vetus apud Græcos dictorium:* Nefas esse in Academiam Atticam ingredi hominem vitiosum; neq; licere ibi proferri verbum otiosum; neq; permitti Philosopho imperito ibi docere. *Cum autem forte fortuna multi ex Olympo convenissent Philosophi, inter alios spectatum Atticos venit patriâ Thebanus. Vir, ut postea apparuit, philosophiâ naturali juxtâ ac morali eruditissimus: qui cum morari vellet Athenis, examinatus fuit, & de multis diversisq; rebus interrogatus, quas inter erat,* quânam re juvenes depravarentur? Corruptelæ, *respondit,* in adolescentibus causa est ocij ad malè agendum abundantia, & Magistrorum, à quibus ad rectè agendum adiguntur penuria. *O auream sententiam, & multo auro dignam, cui optimus quisq; Parentum subscribere annitatur.* M. Aurelius Imperator, *autore* Gvevara, *cum prospiceret pravas filij* Commodi *inclinationes multum illi ad gubernationem Imperij obfuturas, quæri in Italia jussit, qui essent Magistri filio, viros doctrinâ præstantissimos, famâ celeberrimos, vitâ integerrimos, senes denique gravitatis ac moderationis summæ. Cordatum, me Christe, cordati Imperatoris factum! Sicut enim pulvis ex panno delicato, non nisi bacillo sicco excutitur; sic nullum est præsentius levitatis adolescentulorum studiorum remedium, quàm severa senum disciplina. Prudens Imperator imitabatur*

Sumant exemplum nostrates.

In lib. de Git. Phil. Mos Philos. Atticorum.

Thebanus.

M. Aurel. l. 2. c. 40.

Disciplina levitatis in juventute remedium.

Philippus Macedo.

batur hâc in re Philipppm illum Macedonem, enixè operam literaturæ dantem; qui cum Thebis triennio obses habitus fuisset, prima pueritiæ rudimenta in Urbe severitatis antiquæ, & in domo Epaminondæ, Clarissimi & Philosophi & Imperatoris deposuit. Alexander quoq; Puer acerrimis literarum studijs eruditus fuit. Exactâ pueritiâ per quinquennium sub Aristotele, doctore inclito omnium Philosophorum. Πειρᾶσθε τὺς νεωτέρους ἐπ' ἀρετὴν, μὴ μόνον παραινοῦντες, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς πράξεις ὑποδεικνύντες αὐτοῖς ὁποίους εἶναι χρὴ τὺς ἄνδρας τὺς ἀγαθὺς, ut ait Isocrates. Hos imitatus Pater optimus optimum Filium, ubi pietatis & prima artium rudimenta in ædibus paternis didicerat, in publicam deducere Scholam exorsus est: Cùm communium rerum, quarum numero etiam habentur pueri veluti speciosæ plantæ in amœno Reip. horto, communis & eadem debeat esse cura. Sciebat, μικροδιδάκτους illos rarò ad frugem pervenire, creberrimè etiam philautiâ sopitos, adeò veterno obtorpescere, ut seipsos non rarò non agnoscant. Quintilianus mihi sapere videtur, dum monet, excitandam esse mentem, & attollendam semper, quæ in secretis aut languescit, & quendam veluti in opaco situm ducit, aut contra inani persvasione tumescit. Necesse est enim sibi nimiùm tribuat, qui se nemini comparat. Armatis Vegetius præcipit Ducem vigilantem, sobrium, prudentem, tanquam de civili causa inter partes judicaturum, adhibito consilio, de suis & adversarij copijs judicare debere; & si multis rebus superior inveniatur, oportunum sibi ne differat conflictum. Optimum præceptum, & quod nostris quoq; velitationibus quadrat. Agedum produc istos declamatores (ut rectè Seneca) ex privatis latibus in publicum, cum loco mutabuntur, velut inassveti classe & dilectâ umbrâ, corpora sub dio stare non possunt. Non

Alex. M. doctiss.

ad Nicoclem. Denati studia.

In Schola patria.

Lib. 1. Inst. Orat. c. 3.

Quando cum hoste conslipendum.

Applicatio

l. 2. contro.

enim

enim imbrem ferre, non Solem sciunt, vix se invenuint. Assveuerunt enim suo arbitrio diserti esse; cum in publicum ventum, aut deficiunt, aut labant. Ne quid simile obtingeret, ἀγίῳ καὶ μακαρίῳ nostro Doctori, Scholam patriam frequentare, strenuamq; studijs locare operam sub Præceptore Rever. Clarissimoq; Viro Dn. M. Davide Woldero, postea Ecclesiaste Hamburgensi: M. Theodorico Dessovio, Ecclesiæ Ministro mox Buxtehudensi: item M. Feliciano Claro, postea Superattendente in Electorali urbe Misniæ Hertzbergensi. Sub quibus, quanquam adhuc tener, gnavum se exhibuit in castris Musarum Tyronem, & Deo largas ferente suppetias eos fecit progressus, ut æquales in Scholâ facilè superaret. Latinæ Græcam adjunxit linguam; trivialis, sed tamen veridici distichi memor.

Quib. Præceptoribus profecerit.

Græcam linguam discit.

ὓς μὴ Ρωμαϊκοῖς ἑλληνικὰ γράμματα Ζεῦξεν,
ἃ δύναται συνετὴ τέκνα ἀνδρὸς ἔχειν.

Itaq; assiduo labore rude paulatim donari meritus, discedente præsertim ad spartam suam dignè ornandam Dn. M. Feliciano Claro, institutionis suæ curam Fratri natu majori Dn. Johanni, Doctori postea Medic. Clarissimo & Excellentissimo, delegavit. Hujus contubernio fruitus, majores adhuc fructus studiorum suorum sibi decerpsit: apiculas imitans, ex omnium herbarum, plantarum, arborum, satorumq; floribus liquamen confingentes dulcissimum. Ceterum cum opus sit, ut diligens exercitatio accedat, non ut fictis tantum controversijs linguam modò & vocem juvenes forment, sed ut his artibus pectus impleant, in quibus de Bono & malo, de honesto ac Turpi disputatur: imò etiam videant cum Ulysse illo, Ithacæ Rege,

Qui mores hominum multorum vidit, & urbes,
Jactatus dubio per duo lustra mari.

vari

variarum nationum ingenia; excitavit ardor iste etiam juvenis ingenium Bacmeisteri.

Peregrinatio I. in Daniam.

Annus agebatur à nato Christo 1584. cùm Fridericus II. Daniæ Rex. Filium primogenitum Christianum III. pro Rege recipi, & homagium ei præstari postularet à Regni statibus, & obtineret. Solemnitatem hanc visum multi Rostochio discedebant; inter quos etiam B noştri Doctoris Frater erat Dn. Johannes, Med. Doctor. Noster hic, quam primum Fratrem eò iterum persensisset, obnixè apud Patrem, non sine Matris intercessione impetravit, ut cum eo istuc quoq; navigandi potestas sibi fieret. Idcirco puer adhuc ferme præcipuas Selandiæ & Scandinaviæ urbes perlustravit. Vidit, calcavit, perlustravit Insulam, quam Plinius Insulam vocat incompertæ magnitudinis, portionem tantùm ejus incolente Hillevionum gente, quingentis pagis, quam etiam alterum terrarum Orbem vocare non erubescit. Vidit Hafniam, totius Daniæ Metropolin, mari adjacentem, & portu undiq; navibus constrato nobilissimam. Vidit Croneburgum ad fretum Sundæ, præsidium extremæ Insulæ Sialandicæ oræ. Hanc arcem dictus ille Frider. II. maximis & innumerabilibus demersis saxis, interq; compacta & festucata robora conclusis, ac loco fundamenti stabilitis, firmatisq; ex ipso maris fundo immani sumptu eduxit, tantâ operis firmitate, ut immanes pelagi fluctus, magnis provolutos procellis, atq; ad vallum murosq; horrendo boatu illisos citra illius periculi metum excipiat. Opus universum admirabili symmetriâ exactum, intus magnificis conclavibus, cubiculis, porticibus exornatum; quorum texta Babylonica Daniæ Reges ordine repræsentant. Tecta cupreis obducta laminis, muri lapidibus cæsis expoliti.

Selandi. & Scandin. l. 4. c. 13.

Hafnia.

Croneburgum. P. Bert. p. 420.

Peregrin. l. l.

Peragratâ ad hunc modum Dania, cùm jam felicitas

inge-

ingenij uberiorem Doctorum copiam affectaret, Anno Christi 1587. non sine Parentis Consilio Argentoratum cum Michaele Philippo Beuthero, Argentinensi, ablegatur, Urbem sane antiquissimam, & inter Germaniæ miracula nulli secundam. Produnt Cosmographi, Urbem hanc unà cum Treveri conditam esse: & quemadmodum Trèveris à suo Conditore Trebeta hoc nomen acceperit; ita quoq; Argentoratum ab eodem Tratesburgum vel Tyrasburgum primò fuisse vocatum, ac deinceps mutatis aut additis aliquibus literis degenerasse in Strasburgum quod pervia facta esset Hunnorum tyrannide, maximè sub Attila gliscente. Episcopatus hic est institutus à Dagoberto Magno. Deinde incorporata Urbs Imperio est, numeraturq; hodie prima inter liberas Civitates. Abundat omnibus bonis, excellitq; in opibus cunctas Rheni Civitates. Præter hæc Urbem commendat Civium Comitas, Religionis veræ cultus, legum æquitas, Scholæ eruditio, Templi majestas, Horologij omnium artificiosissimi celebritas, situs opportunitas, & nobile cumprimis illud ac ingens opus, cujus simile nec Germania nec Gallia, nec Italia habet, habuitq; sumptuosissima nempè Turris, caput inter nubila condens, scalisq; annularijs undiq; visui pervijs artificiosè exornata, Anno Christi 1277. inchoata, & 28. annis ferè usq; ad fastigium comsummata. In hanc palæstram receptus, non moderni seculi Genium sectatus est, evagando nimirùm tempus terere, juventam ocio consumere, parasitari, ludicris operam locare, noctem Baccho pervigilem ducere, inter ganeas & lustra florem ætatis perdere assvetum; sed classicis primum Præceptoribus, Viro Clarissimo & Excellentissimo M. Philippo Glasero, M. Johanne Benzio, & M. Bischio sese insinuans, adeò diligenti conatu, permovit animos, ut raro ibi exemplo, spacio

Argentina

Munst. l. 3. Ejus Conditor.

Laus Argentinæ.

Corrupti juventutis moderni seculi mores.

Denati diligentia.

Optima juventutis informandæ apud Argentin. ratio sub Helicone ad. umbrata.

quinq; anni quadrantium per classes, Tertiam, Secundam, Primam ad scholas publicas, non citra summam transiret laudem, Nec enim illotis manibus offeruntur sacraria Musarum. Heliconem tradunt Poëtæ arduum & confragosum esse montem, & quidem circa radices, adeò ut dumis & vepribus planè obseptus remoretur ascendentium vestigia. Fortibus tamen patere, & paulatim leviorem fieri laborem ascendenti, dum cautes & sentibus obsiti calles paulatim evanescant, donec cacumen aperiatur florentissimum, Musis quidem dignum, & omnibus Dijs, quos cepit ingeniorum colendorum humanitas. Quæ namq; malum! nostri seculi dementia, ut posthabitis solidioris doctrinæ nervis, statim evolare nitatur, Icari instar, quem nimius sui amor, & persuasa felicitas præcipitem celo dejecit? Sunt quidam, qui nulli arti, quod suum est, tribuere norûnt, sed in singulis legunt omnes, In Grammatica de Syllogismorum ratione disputant; In Dialectica inflectiones casuales inquirunt; & quod magis irrisione dignum est, in titulo totum ponunt, legunt librum, & incœptum tertiâ vix lectione expediunt, non omnia dicenda sunt, quæ dicere possumus, ne minùs utiliter dicantur ea, quæ dicere debemus. Sincordatioris animi sunt præceptores, & cum insanientibus furere detrectant: soli in Scholis relinquuntur, sicut ficti adulatores, cùm canas divitum captant, nihil prius meditantur, quàm quod putant gratissimum auditoribus fore (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, nisi quasdam insidias auribus fecerint): sic studiorum Magister, nisi tanquam Piscator eam imposuerit hamis escam, quam scierit appetituros esse piscículos; sine spe prædæ moratur in scopulo. Horum mores μαχάιρα noster Dn. Superintendens, exosus, non nudâ lectione duntaxat (cùm lectio duobus modis animo fastidium ingerere soleat, & affligere spiritum: qualitate videli-

Præposterа literas tractandi ratio.

Hugo in didasc. l. 3.

Præceptor severus negligitur.

Vitæ vocis ἐνέργεια.

cet,

cet, si obscùrior fuerit; & quantitate, si prolixior; vivæ autem vocis tenor eximiè & solùm efficaciter doceat) delectatus est: sed publica indies acroateria frequentando, nullas prætermisit publicas lectiones, sed sæpissimè visitando, Diogenis exemplo, qui ne baculo quidem ab Antisthene docente abigi potuit, ad pedes Doctorum indefessus hæsit. Audijt hîc præcipua eruditorum lumina, Melchiorem Junium (at quem Eloquentiæ Magistrum?) in Oratorijs; Theophilum Golium in Ethicis; Johannem Ludovicum Haffenreuterum in Logicis. Inde ad Virum, Reverendum & Excellentissimum Dn. Johannem Pappum, SS. Theol. Doct. historica profitentem transibat; mox D. Paulo Crefercio, Institutiones Juris profitenti operam collocabat. His omnibus indole & arcano inter præstantes viros genio conciliatus est, ut non tantum omnibus charus haberetur, sed etiam in intimam reciperetur familiaritatem. Quî ergò fieri potuit, ut istis se insinuans viris vir magnus non evaderet? Ut enim qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, coloratur: & qui in unguentariâ tabernâ resederunt, & paulo diutius commorati sunt, odorem loci secum ferunt: Ita qui cum Sapiente consvetudinem habent, etiamsi non hoc agunt, tamen redduntur meliores. Agesilaus, Lacedæmoniorum Imperator, cavillanti aliquando cuidam Argivo: Lacedæmonios peregrinationibus reddi deteriores, quod interim degenerarent à majorum legibus & institutis argutè, vel Momo teste, respondit: at vos cum Spartam venitis, non deteriores, sed minores evaditis. Dictum retorsit in Argivum. Nam hoc dicens, magis suam gentem vituperavit, quàm Lacedæmoniorum: simul indicans, quantoperè referat, inter quos vivas. De amicis Alexandri Magni referunt Scriptores, eâ fuisse formæ pulcritudine, & proceritate corporis, eam, viri-

Aelia, Var. hist. l. 10. c. 16.

Acroatria frequentabit L. B.

Agesil. confundit Argivum.

Plut. in Lacon. apophth.

Justin. l. 13.

Conversationes Alex. Mag. cum viris sago & togâ clariis.

virium ac sapientiæ magnitudinem in omnibus fuisse, ut qui eos ignoraret, non ex unâ gente, sed ex toto terrarum Orbe electos judicaret; Plurimi admiratione opus esse negarent, talibus ministris Orbem terrarum victum cum exercitus Macedonum tot non Ducibus, sed Regibus regeretur. Felicem Alexandrum isto virorum consortio! feliciorem verò doctorum societate, cum illi non regiones, sed mentem; non oppida sed ingenium occupent, & cultu digniore à vitiorum sordibus expurgent. Quod & ipse non obscurè sensit, dùm Aristotelem summâ prosequitur curâ, & illud crebrò in ore habet: se illi non minus, quàm Patri Philippo debere, quod à Patre quidem vivendi, à Præceptore verò benè vivendi initia accepisset. Hujus exemplum noster B. Superintendens semper ob oculos & sanctum habuit, neq; latum, quod dicunt, ungvem ab eo discesit,

Amat Aristotelem Alex.

Adit Helvetios.

Phil. Clus. l. 2.

Præceptoribus autem doctissimis cum per triennium ferè integrum usus fuisset, & jam à Patre avocaretur, priùs Helvetios, famosissimam nationem tàm armis, quàm literis, perlustrare aggressus est. Sciebat nempè arborum naturam, quæ nativo & uno duntaxat obtorpentes loco rarò fructus edunt, & felici proventu beant agricolam. Continentur autem Helvetij, loci naturâ undiq; tuti. In quatuor Pagos olim fuisse divisos annales loquuntur. Gens cum foret totius Celticæ bellicosissima, reliquos Gallos virtute præcedebant, quòd ferè quotidianis prælijs cum finitimis Germanis contenderent. Quâ fiduciâ freti totius Galliæ imperium affectârunt. Rem ipsam tentantes C. Jul. Cæsar armis in sedes suas redegit, & una cum reliqua Gallia Romano Imperio subjecit. Cui paruerunt usq; ad Honorij Imperatoris tempora; cùm diversis populis

diver-

diversas Imperij partes diripientibus Alemanni (inter Rhennm, Mœnum, atq; Istrum tenuêre loca) Helvetiam, in quam jam ante crebras excursiones fecerant, occuparent, Galliæq; avulsam, Germaniæ corpori suo adjicerent. Indè gens ea Suizeri, à vico fortè, quondam-capite, Svviz dicto, sub Germanico Imperio tenuére, Ducibus suis subjecti, donec Leopoldo Duce, in prælio Cæso, in libertatem sese circa annum CIↃCCCC. vindicarunt. Fœdere post libertatem adeptam inter se sancito nunc liberè agunt. Horum Rempublicam visurus noster Bacmeisterus perlustravit Basileam, urbem amplissimam & clarissimam ad Rhenum sitam, ubi Julianus Apostata arcem extruxit, Incolis Robur dictam. Vidit Solodurum, vetustissimam Civitatem, juxta amnem Arolam, quam unà cum Treveri emersisse sunt qui scribere audent. Quod & versus hi testantur, insculpti turri rotundæ, vetustissimi operis, quos etiam cùm juvenis peregrinas peragrarem terras, à me lectos memini. Sunt autem hi:

Basilea.

Solodurum

In Celtis nihil est Soloduro antiquius, unis.
Exceptis Treveris, quorum ego dicta Soror.

Vidit Bernam, à Bertholdo Zaringiæ Duce IV. extructam, circa annum Redemptoris M. C C. X. in Peninsula, quam facit Arola fluvius flexuoso suo lapsu: saccum vocant accolæ à forma, quia Urbi pro fossa est amnis undiq; excepta parte, quæ spectat Austrum. Nomen Urbi ex destinato inditum à primo animali, quod eam sylvam egressurum erat. Prosiliit autem Ursus, quem Germani Beer dicimus. Ex eo rebus secundis, adversisq; mirificè crevit, adeò ut nunc Urbium, quas in illa regione miramur, sit potentissima. Vi-

Berna.

Lucerna.

dit Lucernam *ad lacum sitam Urbem clarissimam, nomen ex eo habentem, quòd ad usum navigantium ex turri in fine lacus ignes excitari soliti fuerint: quo loco monasterium extruxit primum presbyter quidam Wighardus, frater Ruperti, Ducis Alemanniæ & Sveviæ, circa annum Domini M. CCC. XL. crevit postea confluentibus eò colonis in civitatem locus, & satis hodienum populosus cum lacu, tùm propugnaculis, fossis & muris hostilem impetum facilè intercludit. Idem factum legimus Tiguro, Fuldæ, Sangallo, Campidoniæ, alijsq; locis, quæ ex tugurijs in amplas urbes excreverunt.*

Tigurum.

Vidit Tigurum, *urbem vetustate nulli secundam, in duas divisam civitates, Majorem & Minorem: quæ tamen tribus conjunguntur amœnis pontibus, in quibus frequentes civium fiunt deambulationes. Primas sanè in consessu Helvetiorum tenet, etiamsi quinto demum loco fœderi Helvetico accesserit: tributum id à socijs ipsorum dignitati, vetustati, potentiæ, fidei. At cur his diutiùs immoror? Vidit in his terris nobilissimos fluvios, Rhenum, Rhodanum, Ararin, Aduam, Ticinum, Lunágum, Byrsam, alios. Vidit Thermas Badenses in tractu Ergoyæ saluberrimas; Vidit lacus non aliâ terrâ magis nobiles, Lucerinum, Tigurinum, Rivarium, Neoburgensem, & omnium maximum Acronium, sive Bothmicum; ne in urbibus celebrioribus enumerandis me diutius fatigem.*

Fluvij in Helvetijs.

Thermæ.

Peregrinationes Theologo utiles.

Quantum autem contulerit hæc peregrinatio, dictu facilè non est. Nam quantumvis juri Bacmeisterus *operam dare annitebatur; nihilominus diligenti mente annotavit errores Calvinianorum & Papicolarum, in illis locis præcipuas sedes agentium. Necita nudè & oscitanter terram prætercurrit, ut multi nostratis seculi, qui tanquam canis ex Nilo, nihil præter peregrinos ex peregrinationibus suis referunt mores, tristissimâ severitate infectos, & non-*

Ridentur morum peregrinorum, diversæ religionis, sectatores.

nunquam

nunquam ad ſpeciem tantùm fucati ingenij compoſitos. Et hoc apud iſtos Simios levius foret, nec cenſoriâ dignum notâ, niſi quoq; ſordidâ inficentur labe, & de religionis veritate hallucinarentur. Sunt aliqui tàm vecordis ingenij, ut niſi in patriam redeuntes præter veſtium varietatem, & exteros ritus diverſam quoq; fidei regulam præ ſe ferre videantur, nihil ſuâ ſe emiſſe pecuniâ arbitrentur. O contumelioſam Numini veſanium! Opus mihi tuo eſſe exemplo, beatiſsime Dn. Doctor, *contra illos autumo, qui ſi quando in vitam vel legum cognitionem ſectantium, vel politicis negocijs expoſitam, neq; adeò auſteram, oculos conjiciunt, de ijs, quæ majoris momenti ſunt, aut rarò tales admodùm, aut vix bona fide cogitare opinantur; quos tamen ipſos non nunquam eſſe ex eorum numero,*

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt,

moderationis veſtræ, A. Cl. reſpectus nõ permittit, ut recenſeã.

In reditu ſalutat Heidelbergam.

Perluſtratrâ hunc in modum totâ ferè Helvetiâ, Anno Christi 1590. Argentinâ Bacmeiſterus *domum tendens Electoralem* Palatinatus *urbem* Heidelbergam *ingreſſus eſt, celebrem Gymnaſio, quod jam indè ab anno M. CCC. XLVI. à* Ruperto ſeniore Principe Palatino, *qui etiam ad ejus curam* Marſilium quendam Ultrajectanum Pariſijs *evocavit, conſtitutum. Indè in* Jenenſem *ſeſe tranſtulit* Academiam, *ad* Salam fluvium *amœniſsimo loco ſitam.* Mox Lipſium, emporium *celebre, ad* Pleiſſenam *amnem ſitam, reliquas omnes* Miſniæ *urbes opulentiâ & ſplendore antecellentem: nobile adhoc literarum & Sapientiæ* Gymnaſium, *quod rebus* Pragæ *conturbatis eò translatum eſt, Anno M. CCCC. VIII. ſeſe piè* defunctus noſter *tulit. In vicinam mox* Academiam, in urbe Witebergâ, ad Albim *ſitâ, & à* Witekindo I. magno Saxonum Rege

Jenam Lipſiam.

VViteberg gam.

extru-

extructâ, transgressus, vidit B. Martini Lutheri, Theologorum Principis, incunabula, tanto viro vix paria. Salve Urbs, inter Germaniæ clarissima sidera meritò habenda! quæ primùm tuo ex Orbe illos emisisti spiritus, quibus Europa à tenebris repurgata infernalibus clarum agere diem assvevit. Liter Germania illi diei, quâ primùm aggressus Heros ille ferale Monstrum Idololatriæ, in tantùm profecit, ut felici successu potitus alterius Eliæ nomen meritò mereatur. *Helmæstadium.* *Sed ad rem ipsam.* Witebergâ exeuntem excepit Academia Julia, *Redit Bacm. in Patriam.* ubi à Clarissimo Dn. D. Caselio amicitiæ causâ ad septimanas sex detinetur. *Eras. ex Laërt.* His in locis apprimè sese doctorum Virorum consortio exhilarans, tandem ad Patriam repedavit, nequaquam illi similis, cui querenti: quòd peregrinationes sibi nihil profuissent, argutè respondit Socrates: *Peregrinatio doctorum amicitiam conciliat.* non immeritò tibi istud evénit, tecum enim peregrinabaris. Multi putant, longinquis peregrinationibus colligi Prudentiam, cùm Horatius clamet: Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt. Congressus Sapientium confert Prudentiam, non montes, non regiones, non maria. Talibus noster ἐν ἁγίοις Dn. Doctor conversatus, non potuit non cultus redire domum. *l. 1. offic.* Ibi studio Philosophiæ, cùm teste Cicerone nihil sit optabilius Sapientiâ, nihil præstabilius, nihil homini melius, nihil homine dignius, imò Sapientia optimo jure audiat rerum divinarum & humanarum, causarumq; quibus eæres continentur, scientia, totum sese tradidit: Mox tamen Parentis consensu, & quòd animus ita ferre videbatur, paulatim ad *Juri operam dat.* Juris studium sese accinxit. Hinc quoq; Institutiones Juris profitentem audiebat Clariss. Virum Dn. Martinum Nordanum, privatim: publicè verò Excellentiss. Dn. D. Heinricum Camerarium. Eratq; Pa-

rens

rens *tanto facilior & promptior, ut ingenio ejus obsequeretur, cum Frater natu major istius vestigijs, in studio Theologico insisteret, & alter frater* Johannes, *Medicinæ animum applicasset. Noster igitur* μαχάρ & Dn. Superintendens *Juris studio immori cogitabat, insignem ictorum, qui ambigua dirimunt fata causarum, suæq; defensionis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant; quiq; non minùs provident humano generi, quàm si prælijs atq; vulneribus patriam, parentesq; salvarent, famam haud dubiè aucupans ingenio. Nam si ad utilitatem vitæ omnia consilia, facta passim, dirigenda sunt, ut autor dialogi de claris Orat. refert: quid erit tutius, quàm eam exercere artem, quâ semper armatus præsidium amicis opem alienis, salutem periclitantibus, invidis verò & inimicis metum ac terrorem ultrò feras, ipse securus, & velut quàdam perpetuâ potentiâ ac potestate munitus? cujus vis & utilitas rebus propè fluentibus, aliorum præsidio & tutelâ intelligitur. Ceterùm cùm destinatum salubritèr omni ratione potentior fortuna discurrat; divina providentia ab eo studio retractus est obitu* fratris Jacobi, *quo factum, ut* Parens *creberrimè ipsum interpellaret, ut, sicut nominis, sic & facultatis, quam ipse profiteretur; hæres esse studeret. Quocirca, reclamante quamvis naturâ,* Parentis *voluntati cessit, eoq; magis, quod* Avunculus D. Jacobus Bordingus *idem svadère annitetur, addens: si sibi essent liberi, non permissurum se, ut quisquam eorum Juris studio operam daret,* quòd hujus ævi Ictos plerosq; non rectà ad virtutem & pietatem incedere videret. *Triste dictu! ita paucorum scelera reliquis deindè omnibus, quamvis extra noxam sint, dicam scribunt, & notam non levem inurunt. Nihilominus* Justitia hæc una virtus, sola Domina omnium &

Ictor. laus.

Transit ad Theologiam.

Studium Juris malè audit ob malè illud tractantes.

Regina virtutum. *Tali modo retractus noster* ἐν ἀγκοις Dn. Superintendens *& Parentis voluntate, & Avunculi autoritate Juris studio valedixit, & Theologiæ sese tradidit; in qua primum Præceptorem habuit* Virum Rever. Clar. Doctiss. Dn. M. Davidem Lobechium, *locos Philippicos, anno* Christi 1593. *profitentem, Sequenti anno, qui erat* 1594. *cùm magis ac magis excelleret, & inter æquales facilè Princeps haberetur, inter XVI, Candidatos Philosophiæ nomen suum & ipse professus, sub Decanatu & Rectoratu magnifico* D. Magni Pegelij, *Mathematum Professoris, gradum* Magisterij *assumpsit, nuno inter Competitores ornatus loco, Hoc mihi placet,* Aud. Cl. *& non immeritò omni bono placet. Eleganter Xenophon in Oeconomicis prodidit cetera quæq; animantia, duabus rebus potissimùm adduci ad obtemperandum; cibo, si quod fuerit abjectius; aut delinimento, si generosius, velut equus, & plagis, si contumacius, velut asinus: At homo, cùm sit animal omnium generosissimum, non tàm minis ac supplicijs cogi, quàm præmijs oportebit, ad officium invitari legibus.* Socrates *interrogatus: quænam Civitas ritè gubernari posset? sapienter respondit: Cùm boni invitantur præmijs, injusti dant pœnas.*

Assumit gradum Magisterij.

Roter. de Inst. Princ.

Audivistis Aud. M. Cl. nostrum jambeatissimum Doct. Bacmeisterum *gradu summo in Philosophia positum; Audietis jam ulteriori conatu pergentem. Nec enim eorum imitabatur morem, qui primo vitæ curriculo egregiam de se spem faciunt amicis; mox tepescente æstu langvent, & deteriores indies facti, ut arbor, quæ*

---- flore caduco

Arridens, blandâ dominum spe lactat inanem,

ac umbram quidem pristinam exhibent; sed graviter annisus bonorum spem de se factam adimplere, statim susceptis

Vvitebergam repetit studij Theologici continuandi gratia.

infu-

infulis Magiſterij, *ſtudij Theologici continuandi causâ* Witebergam *conceſsit*, & Trigæ Theologorum excellentiſſimæ, D. Hunnio, D. Geſnero, & D. Rungio, operam dedit. *Hi ut filium ſemper eum amplecti, & amare; ille viciſsim, ceu alteros revereri Parentes. Hi pietate & humanitate perſperſis maximè verbis modò de hoc, modò de alio Scripturæ loco ſermonem inſtituere; nunc reſponſo ſubſcribere, nunc reprobare, inſiſtere, urgere, aliam opinionem defendere, abſurda exhibere, nec unquam tædio affici, dùm lucem quæſiti & veritatem eruerent apertiſsimè.* Conſerſatur cum doctis.

Ubi verò operâ Nobiliſſimi, Strenuiſſimiq; Dn. Oligeri Roſencrantz *aſscitus eſt in familiam* Nobiliſsimi, Eruditiſsimiq; Viri, Dn. Andreæ Caſpari ab Ebeleben, Præfecti aulæ Sereniſsimi, Potentiſsimiq; Principis, ac Dn. Dn. Friderici Wilhelmi, Ducis & ProElectoris Saxoniæ. &c. *cui unicus erat Filius*, Georgius, *quem ejus inſtitutioni committebat, biennium huic rei præfuit.* Pædagogiam ſuſcipit.

Ceterùm cum fruſtrà ſe laborare videret, nec obtuſum & hebes ingenium, quod etiam omnem ſeveriorem notam reſpuebat, quicquam optatæ reſponderet ſpei; perteſus Spartæ infelicis, ceſsit officio, & anno 1597. domum rediit, Theologiæ *acriter, ut antidhac, incumbens, ſatis ſuperq; expertus, doctrinam Præceptorum, & educatorum probitatem nihil prodeſſe, ſi diſcipuli refragetur contumacia, & naturalis ingenij ruditas.* Infelicitèr cedit. Domum redit.

Omnes qui ſunt quiq; erunt, aut fuerunt virtutibus aut doctrinis clari, non poſſunt unum ingenium accendere, niſi aliquæ intus animo ſcintillæ exiſtant, quæ Præceptoris ſpiritu excitatæ & adjutæ generoſum diſciplinæ fomitem arripiant; alioquin algidum in cinerem nequicquam flabis. Diſtortum lignum nunquam feceris rectum.

Anno τῆς χειστογονίας *1598. Novercæ in Belgium ad ſuos proficiſcenti, peregrinationis ſtimulo iterum ictus,* Peregr. III. in Belgium

Comitem se itineris exhibuit, & in Flandriam, Brabantiamq; progressus est. Lovanium, antiquissimam & primam Studiorum sedem, in qua Dux publicò sacramento primum se obstringit, Urbem amœnam; Curiam miro artificio extructam, & Academiam celeberrimam frequentiâ Collegiorum, Studiosorum, Doctorum, perlustravit, & in eâ Lipsium vidit, salutavit. Collegia potissima sunt Lilium, Castrense, Porci, & Falconis, quibus Philosophia traditur. Est & trilingve Busleidianum, in quo Græca, Latina, Hæbraica docentur. Universitas ista sanè flagitatione nobilium Brabantinorum primum constituta est, ornataq; privilegijs à Johanne IV. Brabantiæ Duce, Anno M. CCCC. XXVI. Pontifice Martino V. Iter remetiens Lugduni-Batavorum substitit. Sita hæc Urbs ad medium Rheni alveum, nobilissima obsidione, quam anno Christi 1574. gravem & calamitosam passa, sed pulsis hostibus divinâ ope, & aquarum stagnantium vi, liberata est. Itaq; & propter belli gloriam, antiquitatis decus, & propter loci situm, amœnitatemq;, & Civium singularem humanitatem, Academia privilegio exornata est; cujus nomen Professorum fide, eruditione, diligentia; studiosorum numero ac modestia; Curatorum & Consulum autoritate, Ordinumq; libertate, jam toto orbe, quacunq; humanitatis & elegantiarum jura patent, notissimum & celeberrimum est. Cui etiam accedit Illustr. Ordinum magnificentiâ egregiè extructum, ornatumq; Collegium Theologicum; & domus Anatomica, variorum animalium sceletis insignitèr exculta. Nihil hîc de Delphis, quos egregia cerevisia, & post Britannicam prima, commendat; nihil de Haga Comitis, in qua & sanctiori Principis, Ordinumq; consilio locus est, & forum litibus solvendis dicatum; nihil de Dureti foro (Dordraco) Amstelodamo, Rotterodamo, clarissimis urbibus, alijsq; Belgarum excellentissimus, quas B. noster Doctor visi-

Pet. Bert. p. 281. Lobantum.

Collegia ibi.

Lugdunum Id. p. 311.

Delphi. Haga Comitis.

Dordracū. Amstelodamum. Rotterodamū.

tavit, Colonijs commemoro, ne vestrâ, Aud. Magn. & Cl. abuti videar benevolentiâ. Et hactenus quidem Protasin vitæ Bacmeisterianæ παχυλῶς attigisse sufficiat.

Jam Epitasin exordiemur. Quemadmodum enim Juventutem stata ætas ac virilis, media inter adolescentiæ præcipitia, ponduſq; senectutis excipit: Ita ingens corporum & animorum mutatio, ut ciborum plerumq; ac voluptatum alijs tunc delectus, ita mores alij, & in novum efformatæ cupiditates. Appropinquante ergò virili ætate, tandem de certâ aliquâ functione fuit solicitus; sed cùm ambitiosè nullam quæreret, divinæ Providentiæ totam reliquit curam, non dubiè sperans, DEUM suo tempore locum ipsi honestum monstraturum. Quàm enim ambitio multos mortales falsos fieri coëgit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasq; non ex re, sed ex commodo æstimare, magisq; voltum, quàm ingenium bonum habere? Narrant J. Cæsarem, cùm Alpes jam transiisset, & præter oppidulum quoddam barbaricum, paucis & miseris habitatum hominibus iter faceret, amicis per jocum ex ipso quærentibus: an & hîc de Magistratibus essent contentiones, ac de principatu certamina, & potentum æmulationes? seriò respondisse: Malle se hîc primum, quàm Romæ secundum esse. O vasanam ambitionem! cavenda est gloriæ cupiditas: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Hos altâ mente devovens B. Doctor, DEO curam reliquit, animo prudenti perpendens DEI O. M effatum, qui ambitiosos illos execratur, cùm currerent, nec ab ipso mitterentur. Nec spes ipsum fefellit. Non enim multo post, anno nempè 1599. Illustrissimus, Celsissimusq; Princeps ac Dn. Dn. Udalricus, Dux Megapolesipoleos, vetustæ Gentis Venedûm Princeps, Comes Sverinensis,

Epitasis.

Ætas Virilis defuncti Dn. D.

Tull. in Rhet.

Cæsar ambitiosus.

Udalrici, Princ. Megap. Pietas & ardor in propagandis studijs.

terrarumq; Rostochij & Stargardiæ Dynasta, Princeps O. M. *visitatione Academiæ institutâ, deliberavit prudente mente, & constituit, præter illos, qui tum vivebant, Theologiæ Professores, duos adhuc alios asciscendos, ut quatuor Theologi in Principum collegio essent. Processit res feliciter, & Collegium in Principis sententiam pedibus iens, in deliberationem traxit, quinam illi officio essent adhibendi. Cùm autem* optimi hujus Theologi pietas, virtus & eruditio *publicâ jam in celum famâ abire videretur, ita ut pleriſq; suo splendore non aures duntaxat, sed & oculos obfuscaret; nihil tale unquam appetens ad unam istarum professionum alho denotatur calculo. Etsi autem* Bacmeisteriadæ *nostro pleriq; Professorum favére videbantur; tamen cùm de altero, cui quartus locus esset assignandus, inter Professores non conveniret, res tota bien nium ferè dilata est; donec à Clarissimi* Chytræi *obitu, anno* 1600. *denuò negotium hoc tractatum, & ipse solus ab* Illustr. Principe *ad Professionem Theologicam vocatus est, cujus initium divinâ favente gratiâ fecit* III. Jan. Anno 1600. *Quemadmodum verò Spartam hanc minimè ambijt: ita optimè, ultrò & legitimè vocatus, exornavit. Ille summâ fidelitate, eximiâ perspicuitate sacrum interpretari Codicem, tractare controversias, adversarios summâ redarguere solertiâ; denig; quantum in isto gravissimo stadio & studio desudaverit, satis superq; ostendit Cathedra, quam etiam num* Rhodopolis *suo suffragio approbat, adeo quidem, ut nullius admonitione egéret, solerter illum imitans, qui dùm jaculari discit, destinatum locum captat, & manum ad dirigenda tela, quæ mittit, format: cùm hanc vim & disciplina & exercitatoine percepit, illa quoties, quando, & ubi vult, utitur: didicit enim non hoc, aut illud ferire, sed quodcunq; voluerit. Quem-*

Professionis Spartam suscipit.

admo-

admodum verò in pecunijs, qui duos lucratus est aureos, proclivis est ad decem, ad viginti colligendos, congregandosq; : Sic usu quoq; in virtute venit, qui fecerit bonum opus, officium vè præstiterit, extimulationem aliquam aut exhortationem ad agendum sumit, ut alia quoq; benefacta aggrediatur. Id etiam in nostro Dn. Super. liquidò fuit deprehensum. Cùm enim anno Christi 1604. IV. Maij, mira in Academia Rhodopolitana mutatio, fatis concedente Viro admodum Rever. Clar. & Excell. D. Johanne Fredero, Theologiæ Professore & Superintendente Circuli Rostochiensis, existeret, nec adhuc Dn. Chytræo successor idoneus fuisset inventus; tandem mense Octobri in Collegio Professorum Principum Chytræo surrogatus est M. Paulus Tarnovius; Fredeo verò in Professione M. Eilhardus Lubinus: ad Superintendentis autem officium noster hic ἐν ἁγίοις D. Lucas Bacmeisterus, ab Illustr. Celsissimoq; Principe ac Dn. Dn. Carolo, Duce Megalespoleos, vetustæ Gentis Venedûm Principe, Comite Sverini, terrarum Rostochij & Stargardiæ Dynastâ, &c. commendatione Virorum magnificorum, consultissimorum, & excellentissimorum, D. Clingij, D. Ernesti Cothmanni, & D. Hajonis ab Nessa, legitimè vocatus est, & die IV. Januari, anno Christi 1605. à D. Valentino Schachthio, in templo Mariano Rostochij, in frequenti hominum catu ordinatus. Ordinationis ritum sequuta est immissio, quam mandato Illustr. Princ. M. Heinricus Dinggravius, Superint. Wismarienſis spectatissimus, V. Febr. Doberani perfecit in solemni coronâ, quam exornabant Pastores præfecturarum, Doberanensis & Sverinensis. Illic præsentibus Capitaneo, Theoderico Lutzowen/ & D. Joachimo Schönermarck, J. U. D. Visitationis Consiliario amplissimo,

Chry. orat. 14. con. Jud.

Superintendentis officium delegatur.

præ-

præmissa præfatiuncula de officio Superintendentis & Pastoris, ex 2. Tim. 2, v. 1. 2. & pastoribus quatuordecim, *institutio feliciter peracta est.*

Die XV. Martî ab eodem Dinggravio Ribnizij *instituebatur, præsentibus, Capitaneo* Dn. Joachimo Oldenburgio, & Doctore Joachimo Schönermarck/ *& Pastoribus 16. ex præfectura Ribnizensi, novem verò ex præfectura Gnoyensi. Quantum hâc honorum accessione* Seni Patri *adjectum fuerit gaudij, facile dictu non est. Reviviscunt enim Parentes filiorum honoribus, si vident dignos stirpe suâ sese liberos edidisse. Ratio? Liberos cuiq; suos natura charissimos esse voluit. Nec enim fortuito nobis isthæc contingit felicitas, sed totum id est tui muneris, ô* æterne rerum conditor! *Tu implantas hominum animis paternam illam* στοργὴν: *tu Patres cum liberis amore, velut glutine, devincis; tu utrisq; sapius eandem sortem, moresq; eosdem attribuis; Tu vires, animumq; largiris, ut quæ Parentum, quæ liberorum sint munia, intelligamus. Hisce tactus igniculis* Pater nostri Bacmeisteri, *non obfuit filio, sed profuit; non dissvasit, sed svasit, ut summam in Theologia lauream peteret.*

Examinatus pro gradu dispntat.

Præmissâ ergò legitimâ petitione XVII. Maî ejusdem anni, à D. Valentino Schachtiho, & Parente, *in ædibus prædicti D. Schachthij examen sustinuit, & III. Junî publicè cum Collegis Competitoribus pro gradu disputationem solemnem habuit; materiam exhibens discutiendam* de confessione oris, & satisfactione Operis. *Disputationem horis destinatis, & quæ excurrebant, exactam,*

Insula Doctorali redimitur.

XIII. d. Junî actus Promotionis subsequutus est; quo die præter nostrum Dn Superintendentem *mitrâ Theologicâ ornati fuerunt* M. Paulus Tarnovius, & M. Eilhardus Lubinus à Decano D. Valentino Schachthio; Vice-

Can-

Cancellario *verò* Clarissimo Doct. Luca Bacmeistero, piè nostri defuncti Patre. *Sicut & uno eodem die ab* Consultissimo Viro, Dn. D. Ernesto Cothmanno, *Doctoris infulâ ornatus fuit* Thomas Lindemannus Professor Juris publicus. *Hoc pacto ad optatam tandem metam feliciter transgressus, functionem suam feliciter administravit, adeò ut, veluti lumen occuli nequit, fulgore suo passim totam* Megapolin, *nec hanc duntaxat, sed vicinas & disitas longè regiones irradiaret. Hâc etiam famâ anno* Christi 1612. Illustrissimus ac Celsiss. Princeps ac Dn. Dn. Johannes Albertus, Dux Megapolit. &c. *excitatus, per* Nobilissimos, Strenuissimosq; Dn. Gebhardum Moltken, & Joachimum ab Oldenburgk *cum ipso egit, ut* Superintendentis Gustrovienſis *munus mortuo* Doct. Jacobo Colero *capesseret; quod etiam certis conditionibus suscepit, sic tamen, ut ante Pascha anni* 1613 *eò non commigraret. Præter tamen spem diutius Rostochij hæsit, donec peracto Divi* Johannis Baptistæ *festo cum Familia eò concesit, & inspectionem multarum Ecclesiarum suscepit.*

Ceterùm quantos hic labores, præter ingentes inspectionis sedulæ curas, quantas iras senserit, extorserit, passus fuerit, vix verborum phaleris dignè explicari quit. Quemadmodum enim Medicæ artis periti hoc habent proprium, ut non omnibus æqualiter, sed singulis diversa, prout expedire perspexerint, impertiantur medicamenta languoribus. Nunc quippè ferro, nunc cauterijs, sæpè verò varijs utuntur unguentis. Interdum ægrotantes ciborum allenuant parcitate; nonnunquam autem exquisita alimentorum qualitate sustentant. Naturam utiq; singulorum attendunt, ac vitam, atq; juxta unius cu-

Persecutiones.

Justin. Pastriar. de instit. ac regul. Prælat.

Comparantur Pastores cum Medicis.

jusq; necessitatem remedia tribuunt: Idem faciendum Ecclesiæ Pastori, animæ Medico. DEUS nempè commissum illorum curæ gregem de manibus illorum reposcit; reposcit sanguinem ovium, cum adulantes suâ mollitie ansam ac licentiam exhibent peccandi. DEI O. M. effatum est Ezech. 34. Ego ipse super Pastores requiram meum gregem de manu eorum, & cessare faciam, ut ultrà non pascant gregem meum, nec pascant amplius Pastores semetipsos. Et liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultrà eis in escam, dicit DOMINUS. Considera, inquit Hugo, diligenter voltum pecoris tui. Voltum autem pecoris considerat, qui, quid singuli subjectorum possint, non ignorat; cui per confessionem corda, per circumspectionem opera, per experimentum quid possint, per affectus quid velint, ratio manifestat, & vocem, inquit, meam audiunt. Tres sunt Pastoris voces: scilicet svavis, dulcis, alta. Svavis ad infirmum, ad morientem dulcis, ad surdum pertinet alta. Altâ ergò voce cùm uteretur B. noster Dn. Superintendens, & gangrænam paulatim proserpentis in aulâ Calvinianismi excindere anniteretur, odium & persequutionem expertus est gravissimam. Quomodo enim (ut habet Lactantius) potest Imperator militum suorum probare virtutem, nisi habuerit hostem? Et illi tamen adversarius exurgit invito, quia mortalis, & vinci potest. DEO autem quia repugnari non potest, ipse adversarios nomine suo excitat, non qui contra ipsum DEUM pugnant, sed contra milites ejus, ut devotionem ac fidem suorum vel probet, vel corroboret, donec pressuræ verberibus diffluentem corrigat disciplinam. Perseveravit tamen noster Bacmeisterus in sua statione: Et cum annn 1629. infesto D. Johanni Baptistæ sacro, præsente uno vel altero Patrum Jesuitarum,

l. 5. c. 23. de Just.

tarum, *qui cum* Duce Fridlandiæ *Gustrovij commorabantur, concionem habuisset* de conformitate doctrinæ Johannis Baptistæ, & Augustanæ Confessionis, *juxta quod solidis fundamentis demonstrasset, falsò nostram doctrinam incusari novitatis, quippè quam ipsam &* Joh. Baptista *ante tot secula professus esset; tantoperè* Jesuitas *illâ concione offendit, ut de ipso eliminando cogitarent. Accusârunt ergò* B. Bacmeisterum *nostrum coram Principe, tantumq; calumnijs suis effeceruut, ut Princeps inauditum, per* Producem *suum,* Generosissimum Dn. Albertum Wengiersky *removeri juveret. At cùm* Produx, *qui ipse Concioni interfuerat,* ipsum Celsitudini suæ *excusaret, & insuper* Dn. Cancellarius, Johannes ab Eltz, *ex Apologia piè defuncti* Dn. Doctoris, *quàm* Dno Produci *dederat, innocentiam injustè delati cognoscorent, mutavit sententiam suam de ipso* Princeps, *atq; ut in statione sua permaneret, permisit, ut* Aud. M. Cl. *ipsi scitis, & fortassis non sine exactissima scientia. Talibus turbinibus cum aliquoties, & non citra extremam perniciem attunderetur; noluit tamen obmutescere, multo minus officio suo excedere, & deserendo Ecclesiam suam, eam lupis dilaniandam committere, etiamsi aliquot lautæ conditiones tam peregrè, quàm domi offerrentur; uti Hamburgi Pastoratus* Jacobæus, anno Christi 1616. *mense Decembri; &* anno Christi 1626. *professio* Viri Rever. & Excell. Doct Johannis Affelmanni *morte vacuata, unà cum pastoratu Jacobæo.*

Videtis, A Mag. Cl. Pietatem nostri Bacmeisteri *τῶν ἐν ἀγάπῃ, quàm enixè præ se ferens nihil magis in votis habuit, quàm ut* DEI *placito subscriberet, & summâ conditione sacra tractando, verbum docendo, adversarios redarguendo, errores exsibilando, iram indè resultantem po-* Denati Pietas.

tentium hujus seculi flocci faceret. Et cum in pace & tranquillitate alibi vivere posset: noluit ovile suum deserere, fortassis infido mercenario locandum, licet ignominiam, derisum, crucem reportaret. Felices, qui cum Christo tribulationem suscipiunt! Quem DEUS diligit, castigat; ac flagellat filium, quem recipit. Ut ferrum, quod in optimam & artificiosissimam figuram paratur, sæpiùs ad incudem repetitur: Ita quo quisq; postea majoribus destinatur; eò hîc pluribus malis affligitur. Crux clavis est paradisi, crux infirmorum baculus, pastorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animi salus & corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum datrix. Elucet sanè etiam ex hoc insignis hujus Viri Humilitas, qui cum lautiora, cum altiora, cum commodiora sibi offerrentur, ubi suus melius prodesse, & quietius vivere potuisset, altâ & egregiâ mente contempsit oblatos honores, & suâ se Spartâ consolans, ambitionem omnem, cum Bernhardo, ceu futile malum, secretum virus, pestem occultam, doli artificem, matrem hypocrisis, livoris parentem, vitiorum originem, tineam sanctitatis, excæcatricem cordium, ex remedys morbos creantem, ex medicina languorem generantem, refugit. Callebat CHRISTI dictum: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Noverat Pauli effatum: nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, sed per humilitatem, superiores sibi invicem arbitrari, jubentis Sacerdotes. Fruſtrà, ait Leo, appellamur Christinani, si imitatores non fuerimus CHRISTI, qui ideò Viam se esse dixit, ut conversatio Magistri fieret forma discipuli. Et illam humilitatem elegit servus, quam sequutus est Dominus ejus, qui fuit Christus. Per humilitatem membra Christi sciunt Diaboli vicisse superbiam: Per hanc fideles supra regia proficiunt: per hanc tyrannica superbia refranatur; nec potest dici perfectus, qui hâc vir-

Damasc. l. 4.

Humilitas.

In serm. quadr.

Matth. 11. 29.

Phil. 2. 14. 15.

In serm. natiu. Dom.

Cassiod. sup. illud Ps. Humiliatus sum usq; quaq.

tute est privatus. Ut enim species aromaticæ, cum in pulverem rediguntur, vehementer redolent: Ita hominis bona cùm per humilitatẽ quasi comminuta fuerint, DEO sunt gratiora.

Gulielm. Parad.

Humilitatem commendabat accedens Humanitas, quâ comis & affabilis nulli aures præcludebat, aut ab se fastuosâ abigebat severitate. Heu! quàm arduum hoc, quàm difficile! Ut quisq; alterum antecellit, eò statim vult princeps omnium esse, & superbiâ inflatus alios omnes præ se contemnit. Cùm autem non sit nostrum, quod sumus; quomodo nostrum est, quod habemus? Stultitiæ genus est, ut, cum alijs debeas vitæ beneficium, tibi adscribas ornamenta virtutum. In rebus prosperis, & ad voluptatem, nostrom fluentibus, superbiam magnoperè, fastidium, arrogantiam fugiamus. Nam ut adversas, sic secundas res immoderate ferre, levitatis est: præclaraq; est æquabilitas in omni vitâ, & idem semper vultus, eademq; frons. Nihilq; est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementia, quæ ita probanda est, ut adhibeatur Reip. causâ severitas, sine qua administrari civitas non potest. Hinc David: Virga, ait, tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Virgâ enim percutimur, & baculo sustentamur. Sit ergò discretio virgæ, quæ feriat; sit & consolatio baculi, quæ sustentet. Miscebat & hîc noster Doctor lenitatem severitati, faciebatq; quoddam ex utraq; temperamentum, ut neq; multâ asperitate exulceraret subditorũ inspectioni suæ animos, neq; nimiâ benignitate solveret.

Humanitas.

Cic. l. 1. Offic.

Severitas.

Psal. 22.

Lenitas.

Nihil hic de ejus Hospitalitate, ex beneficijs in paupere, & difficultate aliquâ fatigatos, quorum calamitatem, promptè & benignè sublevavit, subnecto; cum sciret, & faceret illud Esaiæ: Egenos, vagosq; induc in domũ tuam; Et Johannis illud: qui accepit, si quem misero (dicit Christus) me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit.

Hospitalitas.

Esa. c. 58.

Joh. 13. Ambros. de Offic.

Ambr. de offic.

Tanta siquidem Ambrosio teste, est apud DEUM hospitalitatis gratia, ut potus quidem aquæ frigidæ à præmijs remunerationis immunis sit. Vides, quia Abraham DEUM recipit hospitio, dum hospites quærit: vides, quia Loth *angelos recipit: Unde scis, an tu cùm suscipis hominem, suscipies Christum, licet in hospite Christus sit, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait: Hospes fui, & hospitio me excepistis. Disce hinc, Christiane, disce sine discretione exhibere hospitalitatem, ne fortè, cui domum clauseris, cui humanitatem negaveris, ipse sit DEUS.*

In officio Sedulitas.

Et cur pluribus fatigem vos, A. M. Cl. & Exc.*? Universa hæc regio, hic districtus, hæc Urbs, hæc Ecclesia, hæc Schola, omnes denig. ipsius lugemus Pietatem, Religionis veræ Zelum, contra hæreses confidentiam; desideramus humilem spiritum, humanitatem eximiam; denig. pauperes & depressi Comitatem atq. humilitatem. Denig. in suo officio ita se gesserit, ut illum imitatus servum, qui quinq. talentis alia quinq. lucratus erat, meritò olim audire mereatur vocem: Euge serve bone, quia in paucis fidelis fuisti, intra ad æternum gaudium.*

Vita defuncti prælata.

Hactenus publicum Dn. Doctoris *paucis attigimus* vitæ curriculum; *Jam* privatum *quoq. perlustrabimus; & id quidem paucissimis, ne forte nausea vobis,* A. M. Cl. Exc. *suboriatur, dum ἀπ' ἐλπίδος καὶ δόξης oratio sese nostra dilatat.*

Conjugium

Anno *eodem, quo in Professorum receptus est Catalogum, prudenter secum Phocylidis illud:*

μὴ μείνῃς ἄγαμος, μήπως νώνυμος ὄληαι;
δός τι φύσει κ' αὐτὸς, τέκε δ' ἔμπαλιν, ὡς ἐλοχεύθης,

i.e. Ne maneas sine nuptijs, ne quandò sine nomine pereas.
Des aliquid naturæ & ipse, gigne & tu rursus, sicut genitus, *ruminans, animum applicare ad conjugium cœpit. Et cùm*

bone.

honestè amaret & ambiret Virginem, omnium virginalium virtutum decore ornatissimam, Elisabetham Papken/ *Civis quondam honesti, primarij, & fortunati,* Nicolai Papken *filiam; facilè exambijt, & in matrimonium XIX. Aug. anno Christi* 1601. *elocatam XVII. duntaxat anno natam domum deduxit, Papicolarum errores hoc facto reapse taxans, qui dicunt: religionis gratiâ Conjugia debere rescindi ac dissolvi. Verùm sciendum est, quia, etsi hoc lex humana concesserit, lex tamen divina prohibuit. Per se enim Veritas dicit: Quos* DEUS *conjunxit, homo non separet, quæ etiam ait: Non licet dimittere uxorem, exceptâ causâ fornicationis. Quis ergò huic celesti legislatori contradicat? Scimus, quia scriptum est: erunt duo in carne unâ.* Fuit autem hoc conjugium, *si* DEUM *autorem hujus conjunctionis spectes, religiosissimum; si ipsos Conjuges, ornatissimum; si multam amplexionem, suavissimum; & quamdiu mors infausta pepercit, felicissimum. Uxorem duxit non imperij maritalis affectatricem, ut Mical erat; non rixis deditam, ut Rahel; non austeram, ut Athalia; non luxuriosam, ut Thamar; non impiam, ut Jesabel; non superbam ac tumidam, ut Vasthi: Sed talem, quam Saræ humilitas, Abigaelis comitas, Lydiæ benignitas, Susannæ castitas, Marthæ frugalitas, & Mariæ, Lazari sororis, pietas commendabat. Hinc neq; aram* Viriplacæ Deæ *adire, neq;* Verticordiæ *supplicare, neq;* Bonæ Deæ *litare necesse habebant hi Conjuges, utpotè quibus una anima, unus spiritus duobus existeret in corporibus. Et cùm præcipuus Conjugij scopus sit liberorum procrecatio, quibus non tantùm societas conservetur humana, sed* DEO *potissimum animæ exhibeantur plures; felicissimum & fautissimum fuit hoc conjugium.* Pater *siquidem sex liberorum factus vidit ex se natam* Johannam

Qualis uxor eligenda.

Conjugium fœcundum

nam, *viro sincero ac solerti* Dno. Christophoro von Herverden/ *Civi & Mercatori apud Rostochiensis primario nuptam (ex qua etiam piè defunctus* Dn. Doctor *vidit superstites duas Neptes,* Elisabetham *&* Sophiam *) deinde* Elisabetham, *quæ viro Reverendo, & Clariss.* Dn. M. Petro Willebrando, *Ecclesiastæ templi Parochialis dignissimo elocata. Avum fecit nativitate* Lucæ, Catharinæ, Elisabethæ, Annæ, Johannæ, Petri, Sophiæ: Lucam, *qui* Jenæ *in Magistrum promotus, & mox Professione Theologicâ Rostochij cohonestatus,* Viri Clarissimi Dn. M. Petri Sassij, *Logices Professoris dignissimi Filiam duxit, & similiter Parentes exhilaravit duabus filiabus* Euphrosynâ & Elisabethâ; *duobusq; Gnatis,* Luca, & Petro: Saram, Viro Magnifico, Ampliss. Consultiss Excellentiss. Dno. Casparo Coch. U. J. Lic Illustrissimo Principi Megapolis à Consilijs *nuptam quam etiam quatuor liberis* Lucâ, Casparo-Friderico, Elisabethâ, & Margarethâ *ovantem aspexit:* Nicolaum, *SS. LL. Studiosum industrium: Et* Jacobum *p. m. Theol. & Phil. Studiosum. Hos omnes, tres nempè Filios, & tres Filias, atq; ex his tot Nepotes & Neptes progeneratos* Dn. Doctor *vidit.*

Magna DEI bonitas, & summa gratia, quam etiam Poëta Ethnicus agnoscit, deplorans pœnas gravissimas, quas humanum genus peccando sibi contrahit. Versus hi sunt: ——— ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί:

οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν, μινύθουσι δὲ οἴκοι
Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν ὀλυμπίου.

Pietati liberos consecrat.

Hanc autem numerosam sobolem benè, pudicèq; educavit, & eduxit, cum prima ætas mollior sit, & ceram referat, cui recenti quicquid imaginum velis, imprimas, induratæ nequaquam. Deduduxit ad Pietatem, ad Probitatem, ad

Doctri-

Doctrinam, laboremq́, pudicitiæ & verecundiæ exempla plurimum illi commendans. Ut enim ager, nisi colatur, non solùm infrugifer manet; verùm etiam multa sylvestria producit: Ita adolescentum animi rationis capaces, nisi præceptis exerceantur honestis, non solùm non evadunt boni, sed etiam ad multa vitia deflectunt. Diligentis ergò & optimi Patris est, maturè liberos instituere, & omni doctrinâ expolire, ut ad virtutem sese accingant. Quod sanè in nostro Doctore *ἀγίῳ eluxit, qui nihil sanctius habuit, quàm ut liberos suos Majoribus dignos educaret, qui Patriæ emolumento, Familiæ honori, & ceteris levamini forent. Haud dubiè Lacænæ illi similis, quæ, cum mulier quædam Jönica de texto quodam suo ut pretioso gloriaretur; ostensis quatuor filijs, quos habebat, moribus compositissimis: hujusmodi, inquit, decet esse honestæ probæq; mulieris opera, deq; his tollere animos, & gloriari. Jönes operosis texturis vacant, quæ varia picturarum habent argumenta: At Spartana docuit, nullum opus esse præclarius, quàm si filios honestis moribus institueret. His enim meliùs ornari patriam, quam aulæis & vestibus. Nec spes fefellit* optimum Parentem. *Sensit enim fructus educationis suæ longè suavissimos; dùm* Filias *honestissimè elocatas;* Filios *verò doctrinæ & virtutum opinione in spem amplissimam exsurgentes liquidò deprehendit.*

Plut. in apophth. Lacæn. Lacedæmonia coe rigit Jönicam.

Nequaquam tamen sincera fuêre gaudia, quæ felicissimi matrimonij tranquillitas ipsi spondebat. Nam præter Consangvineorum & Gentilium multiplicata funera Cataſtrophen *tristissimam expertus est; dum primogenitam* Johannam; *indè paulò ante obitum* Elisabetham, *Filias: ut & Generum,* Rever. Clar. Dn. M. Petrum Willebrandum, *unà cum Filio* Jacobo, *Adolescente optimæ spei & egregiæ indolis, ad bustum deduxit inter lacrumas.*

Catastrophe. Gaudia nunquam solida.

Vidit suorum funera.

D. Doct. decumbere cœpit.

Omitto hîc recenſere Nepotum & Neptum *mortes, quos ante faciem triſti defungi funere, & immaturâ morte conſumi conſpexit. His mœroribus indies afflictus, & præcipuè miſerrimo Eccleſiæ ſtatu conturbatus, cœpit V. Idus Octobris Anno* Chriſti 1638. *à deductione cujusdam funeris rediens malè habere. Cumq; valetudinem primò ardentibus ad DEUM precibus, deindè Medicorum operâ recuperare aggrederetur; mali tamen vis tacitè ſenſim, & præter adſtantium, fiduciam augeri cœpit; quam tamen ille & magno & forti pectore preſſit, adeò, ut liberius quoq;, & quaſi tantùm langveret, cum Conjuge & liberis, tunc quidem præſentibus, colloqueretur; haud dubiè dejecta illorum corda ſuâ conſtantiâ erecturus. Accedente autem paulatim plenilunio, cum præſertim Luna in ſublunaria præcipuè agat; & tunc plerunq; morbi augescant; Prid. Id. Oct. circa horam X. antemeridianam, in conſtante & exultante, atq; conſolationis vivificæ plenâ fide, & confeſſione* JESU CHRISTI, *Domini & Salvatoris noſtri O. M. communem viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, & naulo naturæ perſoluto ex diutino hujus ærumnoſæ vitæ ergaſtulo, quod generoſi hoſpitis inſtar LXVIII. annos conduxerat, in celeſtem emigravit Patriam, poſtquam Eccleſiæ huic XXV. annos ſummâ cum laude, ſummâ cum ſolicitudine præfuiſſet; ubi nunc procul omnibus curis & laboribus, ſtolâ amictus candidâ, inter piorum corgregationem exultat; & SS. Triadi pæana canit lætiſſimum* Macte

Diem obijt.

Apoſt. ad Dn. Doct.

Vir Reverende *admodùm*, Clariſs. & Excell. Dn. D. Luca! macte *tuâ corollâ, quàm vitâ defuncto æternitas tibi impoſivit celeſtis. Equidem* Pietas *tua, tua in gravisſimo munere* Cura & Experientia *diu potuiſſet prodeſſe adhuc Eccleſiæ: Sed DEUS, quo autore cuncta proveniunt, ſtatutum cuiq; terminum defixit. Mors munus neceſſarium*

Mortem nemo effugit.

est naturæ jam corruptæ, quæ non est fugienda, sed potius amplectenda: ut iterum fiat voluntarium, quod futurum est necessarium, offeramus DEO pro munere, quod pro debito tenemur reddere. Pijs mors ultrà non est mors, sed nomen tantùm habet mortis; imò & ipsum nomen sublatum est. Cur ergò ingemiscis; fortunæ, fatiq; necessitatem videns? Nec consilio prudenti, nec remedio sagaci divinæ providentiæ fatalis dispositio subverti vel reformari potest. Potius gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Mors est, quæ de animis verum dicit. Cur diuturnior exoptetur vita? Nautis fluctuum inclementia portum commendat placidum. Ad quietem morte pervenis. Vita inquieta est, est hospita, est deponenda. Cui peregrinatio dulcis est, non amat patriam. Tota vita malis scatet: in luctu atq; miserijs mors ærumnarum requies, non cruciatus est. Non est immortalitas, in luctu vivere. Mors misera non est; aditus ad mortem est miser, canit Seneca; Hanc vitam puta. Bona mors est hominis, vitæ quæ extinguit mala. Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis est. Hoc victor excedit, excedit triumphator, subjugatis vitijs, depressis malis, quæ animum, quæ corpus fatigavere. Appáres ante tribunal Judicis, quem fallere non potes, non latére. Illic justa distribuuntur præmia pro cujusq; meritis. Cùm fuerit in pugnæ congressione victoria, tunc datur vincentibus corona; nemo autem potest nisi vicerit, coronari: Nemo potest vincere, nisi ante certavit. Istius coronæ major est fructus, ubi labor major est. Finis, non pugna coronat. Dux, nisi confecto prælio, non sumit lauream. Ergo relinquanda hæc mortalitas est, si æternam desideramus victoriam. Cur diutius immori juvat mortalitati huic? Senium suâ sponte morbus est. Hebescunt paulatim sensus, membra tor-

pent, præmoritur visus, auditus, incessus, memoria labat, vigor animi obtusus. Ultimo die finitur vita, omni dispererit. Felix, qui cito, sed sobrio, sed beato exitu has sarcinas deponit: Quod Ipse, beatissime Dn. Doctor fecisti; Imitatus hac in re Philippum Macedonem & Magnum illum Cæsarem, qui fatum ἀναβολήτον sibi exoptávere, aspernati lentum genus mortis. Fato hoc ereptus inopino & celeri, receptus es in patriam celestem, luctum quidem Ecclesiæ, tuis, nobis, & omnibus relinquens, quibus tua perspecta Pietas fuit, tua Eruditio, Virtusq́: Tamen cùm DEUS liberrimè agat, & quidem omnia ad bonum operetur Pietas quidem pro defunctis fidelibus flere jubet, fides autẽ pro ijs lugére vetat. Et quis mortem temporalem metuat, cui æterna vita promittitur? quis labores carnis timeat, cum se in perpetuâ requie noverit collocandum? Optimum hoc unum, quòd nihil dispereat, nisi in salutem. Omnia perundo servantur; omnia de interitu reformantur. Mors, quam pertimescimus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterùm, qui nos in lucem reponat dies. Animus quidem ipse sacer & æternus est, & cui non possit injici manus: Fruitur verò aperto & libero celo, exq́ humili ac depresso in eum emicat locum, qui solutus vinculis animas beato recipit sinu, omniaq́ rerum naturæ bona cum summâ voluptate recipit. Non domus est hoc corpus, sed hospitium, & quidem breve hospitium, quod relinquendum, ubi te gravem hospiti esse videas. Et cur immori huic mortalitati cogitaremus? nullus dies sine peccato nostro præterit: singulis diebus augetur scelerum numerus: singulis momentis graviores ob vitia, plagas demeremur. Stulti malorum memoriâ torquentur; sapientes bona futura, bona celelestia gratâ recordatione delectant. Stultum sanè, eorum meminisse, propter quæ tui

Diu bibere est diu peccare.

oblivis-

oblivisceris. Quotidiè moriuntur homines, & qui vivunt, deducunt illos: exequias celebrant, & vitam sibi promittunt: Potius, quia quando de hoc seculo rapiamur, scire non possumus, sine ullâ morâ de sinistrâ fugere festinemus in dexteram. Benè mori est libenter mori: DEI voluntati hoc pacto subscribimus, subscribimus ejus decreto, quod nostrâ transgressione meruimus. Vitæ actum consentaneus finis excipit. Mors justi vitæ præsentis exitus, introitus melioris. Mors callis est ad Vitam.

Mira ratio: Mors, de fraudatrice serva. trix, ut reddat, intercipit; ut custodiat, perdit; ut integret, vitiat; ut etiam ampliet, priùs decoquit. In vita æterna, in vita, in quam, vitali & patria verâ nullus labor est, nullus dolor, nulli luctus, nullæ lacrymæ: sed festivitas sine fine, serenitas sine nube, pax sine clade, æternitas sine labe, & gaudia sempiterna in sempiternum. In vita æterna, vita sine morte, dies sine nocte, securitas sine timore, jucunditas sine dolore, tranquillitas sine labore, pulcritudo sine deformitate, fortitudo sine debilitate, rectitudo sine perversitate: In regno gloriæ erit certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas, felix æternitas, æterna beatitas. Æquo idcircò animo estote, lugentes: *nolite angi, quod mundum* Vobis delectissimus olim Pater *deseruerit, cùm celestia jam habeat. Mortem reliquit, vitam auspicatus est, mala effugit, bona arripuit, deniq; DEI O. M. conspectu, sacrorum Angelorum consortio, beatorum omnium alloquio fruitur, lætatur, potitur: quæ ingentia commoda sine hujus applicatione mortis neutiquam nancisci potuisset, neq; nos nacturos speramus.* Apostr. ad Hæredes.

Sed jam ad finem festinat Oratio, finita vitæ beati nostri Dn. Doctoris Lucæ Bacmeisteri catastrophe. *Unicum restat,* A. adm. Reverendi, Mag. Clar. Exc. Conclusio.

Liter: *ut mecum* beatis hujus Viri incomparabilis Manibus *extremum* Ave & Vale *dicatis; Deog. O. M. incomprehensibilis essentiæ, immensæ potentiæ, æternæ immortalitatis, Ecclesiæ suæ fundatori, conservatori, instauratori sapientissimo ardentissimas preces offeratis.*

Milites profectò commissâ pugnâ nihil magis agunt, quàm ut suo quisq. officio strenuè satisfaciat, Alij occurrere paventibus, retinere cedentes, ubi plurimus labor, unde aliqua spes, consilio, manu, voce, insignis hosti, conspicui suis: hi aciem explicare, hi contrahere, cornua, signa alij inferre, enses subjicere, tela ministrare, impellere suorum terga; denicq. omni conatu victoriam sperare, licet mille minas & cædes adversarij spirent: Ita nobis quoq. convenit in Ecclesia militante *constitutis, nostris officijs sanctos juvare, & unanimi ardore DEO, universæ Ecclesiæ, angustissimam & flebilem conditionem commendare.*

Precum effecta.

Quod enim venatori cuspis, vel gladius, hoc preces homini afflicto: non tam lupus terribiles gladij, quàm Dæmonibus preces justorum. Hominum; quos valdè exulceravimus, iræ quiescunt, si diluculo, meridie, vesperi apud eos comparimus, & cum ijs humili & continuâ consvetudine conversamur: magis multo apud DEUM, si frequentes fuerimus in oratione: licet indigni, digni tamen erimus diutinâ familiaritate.

Votum.

insistamus ergò strenuè orationum libamentis, & DEO O. M. per Mediatoris nostri JESU CHRISTI sacratissimum nomen supplicantes solicitemus, ut instantem Ecclesiæ *ruinam clementer avertere, & illi de alio fideli & gnavo* Inspectore *prospicere; afflictis & perculsis luctu diutino præcordijs mitissimum consolationis suæ Spiritum inflare non aspernetur, Ipse porrò* Illustrissimo, Celsissimo, Reverendissimoq; nostro Principi, ac Dn. Dn. Gustavo Adolpho, Duci Me-

galespo-

galeſpolis, Poſtulato Epiſcopo Ratzeburgenſi, &c. *ſuâ gratiâ & favore adſit, ut ſub tutelâ* Illuſtr. Celſiſs. & Reverendiſs. Principis ac Dn. Dn. Adolphi Friderici, &c. Dni. noſtri Clementiſſimi, *in pietate vera, & omnibus regiarum virtutum ornamentis excreſcat, & Patriam tandem miserè afflictam ſpe ſuâ in his ærumnis ſoletur. Tueatur ſuo brachio* totam Familiam Illuſtriſſimam, ut & Viduam Illuſtriſſimam, & Plantas regiæ hujus ſtirpis novellas *ad ſeros uſq; poſteros incolumes conſervet. Adſit ſuo Spiritu* Magnificæ, Nobiliſſimę, Excellentiſſimæ Conſiliariorum Coronæ: *regat* Amplissimum Reip. Senatum; Eccleſiam *defendat*, & Scholam hanc, *Peſte & militum rabie duſipatam iterum recolligat; denig; univerſis* Spiritum ſuum Sanctum, Spiritum Pietatis, Spiritum Conſilij, Spiritum Prudentiæ, Spiritum Fortitudinis *largiatur clementiſſimè, ut officij noſtri non immemores lætis animis adventum expectemus* Domini, *cùm ipse* Dominus *veniet in Sanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes, & arguere univerſos de operibus ſuis; Cumq; ante tribunal* Chriſti *ſtabimus, rationem reddituri anteactæ vitæ. Lætis audiamus animis vocem illam* Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti *lætiſſimam: Venite benedicti Patris mei: poſſidete regnum, paratum vobis à conſtitutione mundi:* Veni Domine Jeſu; Veni. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, Servatoris *totius generis humani, ſit nobiscum omnibus. Cui gratia, laus & honor in ſecula æviterna. Amen.*

DIXI.

ΕΠΙΤΑΦΙΑ

Beatisſimæ Memoriæ,

Viri Reverendi admodum, Præclariſſimi atq; Excellentiſſimi

Dn. LUCÆ BACMEISTERI

SS. Theol. Doctoris, Diœceſium Roſtochienſis & Guſtrovienſis Superintendentis vigilantisſimi, nec non Ducalis Conſiſtorij Eccleſiaſtici Aſſeſſoris dignisſimi.

Scripta

ab Amicis

INgenio, eloquioq; gravem, ſenioq; verendum
Abripuit Bacmeiſterum inclementia mortis.
Templa ſuum amisere decus Megaleſpolis, atq; Rectorem. Lacrymæ ac queſtus ſi fata moverent,
Aſpera, non eſses effrenæ victima mortis.
Sic viſum ſuperis, terris ſubducere, & aſtris
Hunc inferre virum, fiat ſuprema voluntas.

Johannes Quiſtorpius D. & Th. Facult. Senior.

ONimium felix ô terq; quaterq; beatus
Cui mors obſcuras inijcit atra manus.
Hunc non perturbat diri truculentia Martis
Qui longo ſævit tempore in orbe ſatis
Hinc Bacmeiſterus felix ac terq; beatus
Dicendus cum non cernat in orbe mala,
Queis hodie irati nos pœnis dextera dignis
Numinis ulciſcens debita noſtra premit.

Condolentiæ teſtandæ ergò Collegæ ſuo dum viveb at honorando F.

Johannes Cothman SS. Theol. D. & P.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546/phys_0082
DFG

O Hominum mores pravos! O tempora ſecli
Improba præſentis! pœnas ac inde fluentes
Promeritas! Caput heu miſerum noſtrate prementes
Dum nos affligit Patris indignatio juſta,
Cœleſtis, ſævas ob noſtrum crimen ad iras
Commoti; Martis truculentia dira trahentis
Secum Bella, famem, ſubitæ Contagia Mortis
Cujus & ipſa rei ſatis Experientia teſtis,
Dum quoq; Guſtrovium Mavors trux occupat armis
Mortaq; tot ſtrages edit, civesq; miſellos
Ejicit ex laribus, gelidaq; recondit in Urna: (ſtros
Quin quoq; nec parcat templis, Cathedriſq; ſacratis
Dum Dominum PETRUM WILBRANDUM falce feroci
Nec non LAURENTEM LANGCLAJUM utrosq; Magi-
Paſtoresq; Gregis reſecat, conditq; ſepulcro:
Nec ſaciare ſuum tamen horum cæde furorem
Quivit, quin raperet Caput, heu! præluſtre ſacrati
Ordinis, ac reliquis huc-qui Paſtoribus-usq;
Præfuit ut Rector Superintendensq; fidelis;
Doctorem LUCAM genitum de ſanguine claro
BACMEISTERORUM, fulcimen grande futurum
Templis atq; Scholis, Cariſq; Nepotibus olim
Parca pepercisſet ſi verè Parca ſenectæ.
Sed raptum vehit ad Patres, qui Neſtoris annos
Vivere dignus erat Siduſq; reponit in aſtra,
Ut micet ante thronum Domini; quia dogmate ſacro
Multos Juſtitiæ docuit cognoſcere callem
Ac hujus mundi per ſentes ire ſub aſtra.
O ter felicem! totoq; ex aſſe beatum,
Tranſitus ex terris cui ſaltem talis ad aſtra,
Contigit, in quibus heu! falces modò triſtis Erinnis
Imperiumq; merum tenet, ac injuria præceps

Pulsâ Justitiæ, pulsa quoq; Pace, relictis
Cædibus ac Nemesi cum Mortis atroce furore.
Ah! miseris nobis tandem bone CHRISTE Redemptor
Quæsumus auxilio venias, Pacisq; perennis
Assertor, Pacem terris concede benignus
Et post hanc vitam cœli in statione perennem.

Condolentiæ ergò apposuit

M. JOHANNES STEIN
Past. Rost. ad D. Nicol.

ERgonè adhuc patriæ fatis hoc defuit unum?
Ut tu Magne senex, capitis veneranda corona,
Nostri, funesto caderes hoc tempore Vita,
Quo tua nunc pietas atq; experientia longa,
Prodesse heu! multum populo sub *Marte* gementi
Debuit, & lapsis potuit succurrere rebus.
Verum juste Deus! sic plectis crimina nostra,
Atq; viros tollis, longum eheu! vivere dignos,
Scilicet ut ne supplicium pœnasq; futuras
Cum fletu & lacrymis inter suspiria cernant.
Scinde igitur vestes *Ecclesia*, velle capillos,
Plora *Ephorumq;* tuum mitem! *Respublica tanti*
Luge fata viri! verbi lugete *ministri!*
Templa Scholæq; simul ferales ducite lessus!
Ille quidem cœlum tenet, at *nos* mille pericla,
Circumstant, *Martisq;* metus *Mortisq;* fatigat.
Ah miserere *DEUS!* finem da *Christe* malorum,
Afflictæq; tuæ præbe solatia genti!
Plura vetant lacrymæ.

Pijs manibus Venerandi sui in Christo Patrũ, Dn. Compatrũ & Collegæ ad mortem usq; dilecti & fidelis luctu & mœrore plenus

Consecrabat

M. SAMUEL ARNOLDI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546/phys_0084
DFG

Anagrammatismus.

MITTAS, ECCE ODOR CHARUS: PERENNIS, DESUNT, CUBAS.

L. in. C. Mutato.

OMnia quod valde mutentur, proh dolor! omnis
Cernit, & in pejus tempora nostra ruant.
Dum scelus omne palàm surgit, pietas & honestas
Econtra miserè pellitur ipsa foras.
Hunc ergo MITTAS *mundum* Clarissime Doctor
Mitte tibi charos; lectaq; dona Tagi
Nam licet ECCE *cadas, pereas & sicut amœni*
Floris ODOR CHARUS; *laus tamen ampla manet.*
Et quamvis privet vita hac te mortis imago;
Attamen in cœlis vita PERENNIS *erit.*
Gaudia nec cœli deerunt, si gaudia mundi
DESUNT; *dum placidè in perpete pace* CUBAS.

Luctu plenus deproperabat

M. Joachimus Albinus
Pastor Varnomundensis.

ALurigam currumq; Ecclesia luget ademtum
BACMEISTERUM, & nos flemus ubiq; patrem.
Quos SUPERINTENDENS fidus, dum vita manebat,
Curabas, cur nunc linquis in orbe tuos?
Sorte tuâ gaudes, nos nostrâ sorte gravamur
O miseri, miseris temporibus reliqui.
Sed frustra querimur: *Tu Princeps optime pacis*
Da Pacem, exulibus da patriamq; precor.

Johannes Rajus Pastor Sultanus
Rostochij pro tempore exul.

quâ introducitur Reverendus, Excellentiſs. juxtímq; Doctiſs. Vir, olim S.S. Theologiæ in Almâ Roſarum Academiâ Profeſſor, & Diœceſium Guſtrovienſis ac Ribnitzenſis Dn. D. P. m.

Luctus adaugetur nobis Paſtoribus ingen S,
Undiq; diſperſis anxietate, met U.
Cum rapitur DOCTOR LUCAS, *noſter quaſi* JOSE P,
Ac Præſul claudens fata peracta pi E.
Servijt is CHRISTO *multos annos vigilantè* R,
Belligerans armis mentis & ingeni I.
Anni triginta elapſi ſex ſunt modò: Nome N,
Cum Doctis alijs non ſine laude dare T.
Me inſtituit primum DOCTOR: *trigeſimus ind* E
Eſt annus cœptus tertius: èn Regime N.
Inceptum felix! ubi centum munus ad illu D
Suſcepit; poteris tot ferè & adjicer E,
Ter tres heîc tantùm deſunt. Id dulce levame N
Eſt ſoboli mœſtæ: totq; habuiſſe Viro S
Rectores; Eccleſiolas noſtræ Regioni S
Unius auſpiciò, quò viguêre ben E.
Sedibus ætheris fulget (maneat quoq; Nome N
Cum PATRE in terris!) jam nive candid IOR.

ἐθεομηνημεεσδίστιχον.

BIs seXtVs sVperâ In statIone nIteBat VbIq;
OCtobrIs, DVM oblens, Regna beata petIt.

l. m. q. deproperata à

JOACHIMO OLEARIO
Paſtore Petzcov.

PHoſphorus euge Solo Paſtorum, *Doctor*, eras ne;
Sole rubente Polo clarior ecce micas.
Heſperus interitum, noctem, mala quæq; minatur,
Hîc quæſo ulterius vivere quis cuperet?

Det

Det Deus ut placidè, sic te præeunte, sequamur,
Qui nosmet tecum, quodpeto, clarificet.
Interea dum vita manet tristissima Martis,
Nox abeat, redeat *pacis* amica dies.

gemens addidit

Joachimus Tauman.
Pastor Verchentin.

D. LUCAS BACMEISTERUS.

Anagr. Om. m.

CEDIS CLARUS: BEATUS.

Tempore nunc belli *duro*, CLARISSIME Doctor,
Hac vitâ CEDIS CLARUS *ad astra poli.*
CEDIS, *& hæc bellis commutas*, bella triumphis.
Inter nec Martis *longius arma manes.*
CEDIS, *putrescunt artus & corporis: atqui*
Laus tua CLARA *viget* CLARUS *honorq; viget.*
Arte *etenim es* CLARUS, CLARUS pietate fideq;
CLARUS doctrinâ, CLARUS & officiis.
Hinc obitum subitum, Cives *verbiq;* Ministri
Deflent Gustrovij Rostochijq;, *tuum.*
Et quid de Natis, *ac tristi* Conjuge *scribam?*
Heu miserè lacrymis ora subindè rigant!
Immo lacrymulas effu- dunt omnia: *quisquis*
Ingemit: Ah Doctor CLARUS *& ille cadit!*
Ah patriæ nostræ potuisset, post mala belli
Tempora, *Consilius utilis esse suis!*
Sed calamum turbant gemitus: ceu CLARUS *in* orbe,
Sic CLARUS cœlis *atq;* BEATUS, *ovas.*
Ecce BEATUS, *ovas: non te* Mars Morsvè *fatigat*
Amplius, in cœlis pace BEATUS *agis.*

Pace BEATUS *agas, precor, ô* CLARISSIME Doctor
Et tumulo: Nequeo scribere plura, fleo.
Animo m. subjungeb.
Johannes Hinrici Pastor Uerchov.

SI unquam, certè hodiè sunt tempora conclamata,
Dum Bellona furens dubijs volat undiq; pennis,
Contra nos fremit, atq; premit nos, demit & hostis,
Et gemit, atq; tremit miseranda Ecclesia Christi,
Tam miseris quassata modis, vastata Tyrrannis,
Ut pia mors vita hac potior sit jure putanda.
Tecum igitur malè non agitur, *Clarissime Doctor*,
Cui mutare statum hunc concessum est cum meliore;
Dum te *Jova bonus* tam magnis, totq; periclis,
Præripuit, terrâ hac queîs nos vallamur abundè,
Tu verò astra super felix, liberq; periclum
Horum nunc radias æternâ *sidus* in arce:
Non equidem invideo, sed toto pectore grator.
Tempora si tamen hæc memori mala mente revolvo,
Cogitoq; assiduis precibus quod pondus inesse
Permagnum soleat, valeant quod flectere numen
Supremum, valeant irarum tollere molem;
Te doleo, *Venerande Senex*, hoc tempore obisse,
Quo sanctum Populum circumstant mille pericla,
Cui prece, consilioq; bono succurrere quisses.
Scilicet indicio est tua mors, ob Crimina nostra,
Quod *Jova iratus* permittat tristia quæq;.
Ergo mei *Fratres Reverendi*, plangite mecum,
Collachrymate meis, quicunq; supersunt.
Perdidit heu *lumen, columen* quoq; Christias ingens!
Currus & Auriga Israelis proh morte peremptus!
Justè ergò plorant, Ecclesia Gustroviens,

Vici-

Vicinæq; dolent meritò nunc Templa, Scholæq;,
Lugemus meritò *Cuncti* virtute, carentes
Ipsius, atq; *fide* Germanâ & *dexteritate*
Consilio, auxilio, præsenti tempore vasto.
Sed quia proficitur luctu nihil, atq; dolore,
Quod *Christus* voluit, quoq; nos id velle decebit,
Qui pœnas *meritas* clementer mitiget, atq;
Rursum Ecclesiolis *Ephorum* præponat, & almam
Tandem restituat *Pacem*, quam poscimus, ipsi
Magnas de toto dicemus pectore grates.

Scriptum à

Zacharia Brochmanno Megap.
Pastore Cygneo.

Χρηστὸς ἀνὴρ Ἀγαθὸν κοινὸν: Χρηστοῖο δὲ ἀνδρὸς
Ποίμος πῆμα ἐφὺ κοινὸν, κοινόντε τὸ πένθος:
Ἔπλετο δὴ Ἀγαθὸν κοινὸν καὶ ὁ θέσκελος ἀνὴρ
ΛΟΥΚᾶΣ ΒΑΚΜΗΣΤΗΡΟΣ, ὅπερ ποιήσατο πολλὰ
Χρήσιμα: ὃς πυνετῶς μυστήρια θεία διδάσκων
Ἔκβαλεν εὐφραδέεσσι διδάγματα ποικίλα βίβλοις
Ὅσσα ἐπισταμένος δύνατ' ἔργοις, καὶ μελέτῃσιν
Εἰς κλέος ὑψίστοιο θεοῦ, πολλῶντε ὄνησιν,
Ὡς πιστῷ μάλ' ἔοικε, τέλεσσε καὶ ἄκρι τελευτῆς:
Τοὔνεκα σύμπαντες μαλόδυρτον Επίσκοπον ἡμῶν
Κλαίομεν: ὡς ἡμᾶς δέκεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰὲν!

Συμπαθείας ἕνεκα

fecit

JOACHIMUS THODÆUS
Pastor Hanstorphiensis,

Quo

Quo fugis ah pater? ah quorsum promotor amande
Tendis? & hoc nostrum respuis exilium?
Te tenet aula nitens, nos multa pericula cingunt,
Cur miseras, Pastor chare relinquis Oves?
Verùm quid rogito? Domini sic grata voluntas
Jussit, huic tandem nos quoq; junge Deus.

Lugens apposuit

Joachimus Bier P. Lansensis.

AURIGATUS ELIÆ

CUm pius ad cæli veheretur culmen ELIAS
Fulgureâ rhedâ, scintilli vomisq; caballis,
Territus hoc viso comes acclamabat ELISA:
O pater! ô venerande pater! quò deinde recedis?
Quò fugis, aut veheris Rheda Israelis, equesq;?
Te modò subvecto Judæ stirps perdidit ingens
Præsidium atq; decus! querulo sic ore propheta
Clamat, & ingeminas discisso syrmate partes
Testatur luctus, ac questibus aëra complet.
Consimiles meritò voces ego spargo per auras,
Atq; INSPECTOREM tali jam persequor ore:
O pater! ô reverende pater! Pater optime cur nos
Deseris ante diem, tristiq; relinquis in orbe?
Quo fugis aut veheris? qui currus noster, equesq;
Enthea quo verbi vehitur vis sponte sacrati,
Quantum præsidium placidâ Te morte soluto
Amisit regio hæc? poterat nil perdere majus.
Vt Soboles sine PATRE gemit vastatur ovile
Cum desit PASTOR, titubat sine remige NAVIS,
Objicitur prædæ regio sine milite forti,

In-

Ingemit & fessus PEDE deficiente viator:
Sic quoq; nos miseri sine TE sumus, Optime Præses,
Tu PATER & RECTOR, Tu PASTOR, CURRUS, EQUESq;
Terrarum Megalespoleos tu *auriga* fidelis
Sed subitò in cœlos geniis comitantibus actus,
Nil nisi divinam *famam* libroSq; Latino,
Teutonicoq; stylo monumenta perennia linquis.
Hinc meritò luget defiens Ecclesia summum
Mystam, luget item venerabilis ordo virorum
Collegamq; volunt fidum vixisse, suisq;
Consiliis rexisse gregem, scriptisq; paræcos.
Concilium luget, gemit & Respublica tota,
Præcipuo viduata viro, gemit exul, inopsq;.
Nos Parochi imprimis, quos informabat amicè
Casibus in dubiis, nostrum lugemus ELIAM.
Sed decet esse modum lacrymis, finemq; dolendi,
Velle DEI summi, nostrum sit velle vicissim
Nam quia præsentis nunc instant ultima secli
Fata, & mortales discrimina mille fatigant,
Evocat hinc ELIAM DEUS ad cœlestia regna,
Ne videat clades oculis, & damna futura.
Si quicquam tamen ulterius pia vota valerent,
Ipse tuas, ELISÆE, preces jam poscere vellem,
Ut BACMEISTERI duplicatus Spiritus adsit
Huic, qui nobis est fortè futurus ELISA,
Muneris imposiți queat ut perferre labores,
Nam fidum ATLANTEM species miseranda Sionis
Postulat, instauret qui pulpita rursus, & *aras*,
Quæ modò sacrilegus scelerato polluit ausu.
Mi Pater, interea salve, Pater Optime Salve,
Cumq; ELIA, & MOYSE superæ cape gaudia vitæ,

Qualia non oculo percepta, nec aure cuiquam,
Qualia nec tacitâ potuit quis fingere mente.

Elegia lugubris.

NOn erat ergo satis *WILBRANDUM* morte peremptum;
Qui docuit scriptis, & pietate gregem!
Non sat *LANGCLASIUM* celeri nimis impete mortis
Cernere defunctum, signa gemella Poli?
Idq; prius, quam ter vertit se menstrua Luna
Menses funestos dicere jure queo:
Ambo DEI donis instructi dotibus ambo
Eximij multis prævaluêre viris.
Non erat. En properè sequitur nunc *EPHORUS* ipse,
Atq, *VALE* mundo dicit, & astra petit.
BACMEISTERUS obit, nostri cœli inclytus *ATLAS*,
Annos tot cuius firma columna fuit.
Ille *ATLAS* cadit, & domus inclinata recumbit.
Heu classem nostram quanta pericla manent!
Templa dolete, scholæq; dolete, dolete Cathedræ,
Occidit heu nostrum præsidium atq; caput!
Scilicet ingenio; doctrinâ, atq; ore diserto
Thejologis cunctis, judicioq; prior,
Qui promte adjuvit, qui se cupiere juvari
Consilijs, scriptis, munificâq; manu?
Magne DEUS, toties quid vult iterata ruina?
Cur tot *PASTORUM* mitra, pedumq; cadunt?
WILBRANDI mortem, *LANGCLASIq;* omen habere
Diximus, & nobis multa notare mala.

Quid nunc dicendum? Bone *CHRISTE* quid inde futurum?
Cur sic devastas templa, Scholasq; tuas?
Orbi, urbiq; *CAPUT* dilectum surripis, unde
Maxima damna capit vinea, *CHRISTE*, tua,
Thejosophus crescit multis vix unus in annis,
Et quadrans anni tres rapit eximios?
Præter *RURALES*, quos mors penè abstulit omnes
In Pathmo, reliquos tristis eremus habet.
Ah! meruit scelerum nostrorum hoc magna libido,
Crimina sunt, ob quæ *Morta* cruenta furit.
Sit satis irarum, lugentes respice servos,
Clementerq; leva grande doloris onus.
Tristis ab inde tua est Ecclesia, barbarus hostis
Quam premit, hanc serva, *CHRISTE* benigne, tibi,
Interea ô *Animæ* salvete, quiescite *Manes*.
Quanquam ego lacrymulis vix requiesco meis.

Ita observantiæ & gratitudinis ergò EPHORI *&* EVERGETÆ *sui desideratissimi beatissimam* ἀπόλυσιν *ac memoriam deplorat*

Stephanus Hane, Pastor Reinsh.
An. clɔ Iɔc xxxiix. Idus Octob.

SI poteris lachrimas tristesq; inhibere querelas,
Atque isthæc siccis busta tueri oculis,
Si, repeto, tanti Doctoris *funus acerbum*
Non curas, subitâ qui modò morte cadit;

Aut lapis es, lapidemve teris, vel Tigride natum
Pectus habes, & mens cincta tibi chalybe.
Heu tragicas rerum sortes, facies q; vices q;
Musarum! Ductor *dum* Gregis *ipse fugit!*
Ah fugit Aonidum Phœbus, *pol* nobile lumen,
Supremum terris dicit & optat, Ave!
Ah quantum damni dedit inclementia mortis,
Quàm tristi hoc nobis funere sæva nocet!
Totus ob id Musarum grex; *namq; optima flendi*
Materia est, faciles solvitur in lachrimas,
Templa *dolent, & conduplicant hac sorte dolores*
In miserâ lugent pulpita *mœsta* Scholæ;
Et Daniel, Samuel, *turbatâ mente* Magistri
Et Socij, querulo Te, Pater, *ore vocant,*
Et Nati patrem, socerum gener atq; nepotes
Te Venerande senex, *occubuisse dolent:*
Quid; quales fundit lachrimas mœstissima conjux?
Mœrore & luctu deficit ægra gravi
His lachrimas lachrimis jungam? persolvere justa
Debeo? me miserum nè hominem ne hominem!
Quin Bacmeisteri *vellem pertexere laudes*
Sufficeret votis si modo vena meis.
Consilio felix, mitis, candore probatus,
Dotibus Eloquij suavis & uber erat:
Cætera Pierides. neque enim præconia poscit
Quem magni norunt sidus in orbe viri.

Nunc

Nunc cum Fata vocant, & veſcier amplius aurâ
Vitali prohibent, nil opus eſt lachrimis:
Omnigenæ felix fortunæ fulmina vicit,
Ante Deum vivus dogmata ſacra canit.
Ergò TE *nunc Dive ſenex ex aſſe beatum*
Prædico, quod mundi prata relinquis ovans:
Æternum vale pietatis & artis amator,
Perfruere aternis undiq; delitis

Lugens & lubens hæc F.
Triumphanti Seni
Joachimus Baumannus, Paſtor
Eccleſiæ Neo-Robelenſis.

EPITAPHIUM.

ROſtochij genitus per Teutonis arva celebris,
Cognitus Hæreticis, quos domat arte, viris,
Hac BACMISTERUS, cujus deſcribere laudes,
Non noſtri genij, ſed potioris opus,
Hac SUPERINTENDENS recubat ſub mole, ſorores
Quem Rhodiæ tractus, quem Megaleſpoleos,
Quem Pietas, quem Relligio, diſperſaq; latè
Gens Eccleſiolæ flent, cupiuntq; parem.

Ut lubens ità lugens poſuit
Chriſtophorus Fahrenhorſt/Lubec.
Eccleſiæ Baſedovienſis Paſtor, nunc ob militiæ malitiam Roſtochienſium hoſpes.

HEu SUPERINTENDENS moritur jam fidus & aptus!
Flete: Ministerij pulcra corona cadit.
Tu, precor, alme DEUS turbatæ Ecclesiolæ nunc
Sis SUPERINTENDENS Tutor & ipse tuæ.

Condol. f.
Andreas Conradi, Pastor
in Sanitz.

ARmamides virgâ summi ostentisq; *Tonantis*
Mirificus, subiens montana cacumina Phasgæ
Oppetiit Mortem. Valido de corpore robur
Non cessit, non oppleti caligine furvâ
Luciduli explerunt semper sua munera ocelli,
Donec eum tumulo, summi quem dextra *Tonantis*
Fecerat, ingessit, quem nemo lumine vidit.
Nec mortem prius oppetiit, quàm vocibus iras
Flagrantes placidis *Domini* permulsit, abortas
Propter aquas, quas petra dedit perculsa bacillo.
ANTISTES LUCAS celsi *Illustratus* & auctus
A *Cœli* DOMINO donis, quis dogmata sacra,
Quæ obsita squalebant fœdo pædore. situq;
Heresium, coluit, claro dedit atq; nitori,
Non canis cedens, non curis munere obortis
Difficili; vegetæ vegeto sed robore mentis
Quotidiè glisens & robore corporis, eheu!
Lassula concussit placidâ jam lumina morte,
Ante diem; viduam nobis liquitq; *Cathedram*,
Morte suâ, *Generi* subitò vestigia PETRI
Ponè sequens, tua subq; sequens non passibus equis
LAURENTI, quos nulla dies memori eximet ævo,
Ergo dehinc luctu totam te dede CATHEDRA,
Nec non pro rubrâ pullam superinduc pallam.
Non desint vobis lacrymæ, non luctus, abundè
Pectora edens, *Cives* clari; *sacer ordo Senatus*

Consi-

Consiliis pollens; & vos MEGALESPOLIS orbem
Qui regitis totum sanis *Clarissima turba*
Consilii, fletu mecum indulgete. *Doloris*
Causa subest gravis, Occidit, occidit, occidit, eheu!
DOCTORUM nostri qui gloria temporis ingens
THEULOGIÆ, instar erat multorum dotibus usq;
Ingenij. Jacet, heu! doctæ facundia lingvæ,
Vitaq; Labe carens, Sanctæq; peritia legis.
Heu quoties nobis addens solatia curas
Sustulit ille graves, & votis flectier iram
Edocuit DOMINI, cum primis temporis hocce
Articulo, quo nos glisscentia fraudibus urgent
Arma domi, manifesta foris, furit undiq; *Mavors*;
Oppida dira *lues* viduans, Corydonibus arva;
Et rabidi ventris jejunia, quæ pede lento
Irrepunt, passim bruchorum more *Gradivi*
Omnia cum pulli pascant, ventriq; recondant,
Sæpè mala hæc nobis, nisi mens tàm cæca fuisset,
Pro cathedrâ memini temet prædicere nobis,
SANCTE PATER, populum quoties pia jussa docebas,
Hinc tua nos, DEUS ALME, trium crudelibus ausis
Fulmina pœnarum simul uno tempore tangunt.
Et TE pronuper præcessit *clara Virorum*
BIGA, citis quos tu sequeris PATER ipse quadrigis
Sanctorum adscriptus numero. Quot CURIA *Patres*
Nondum defletos mœret? Tu NASO per annos,
Et tu SANDOVI, tuq; ô LOSMANNE per annos
Vivere quibatis; tuq; ô RHUMBEHELDE, sub ævo
Quem docuit *Baldus* Juris vernante medullam,
Quemq; HAGEMEISTERIDUM celebris prosapia sevit.
Quid loquar, heu! Cives, ipsi qui aheneus hosti
Murus erant? quid *matronas* loquar, atq; *puellas*,
Pensa severa volo quis novit *triga sororum*
Et nisi tu *ter*-trine DEUS miserere tuorum,
Quis superos se datum est, almam qui ducimus auram
De nobis actum est; & de te, ECCLESIA; sanctâ

Quin quoq; de *turba* PATRUM, quis *civica* curæ
Res: *Consulta Ducis* vigili & qui pectore versant,
Actum erit. O ergo rerum DEUS arbiter hisce,
In tribus, ad pia propensum te vota vocamus,
Parce, nec omninò dole tua jussa colentes.
Lenis ades populo, ternonos asserе ab hoste
Omnipotente manu. Quod damnum ECCLESIA cepit,
Nostra, Deus sarci, quia & hæc ut conjuge priva
Fœmina jam vivit; sine te neq; vivit in orbe,
Qui tueatur eam. Tu alium quoq; suffice *Atlantem*,
Sustineat forti qui tantum corpore pondus.
Quod supereſt, ad te, LUCA, *clarissime* DOCTOR,
Se vertit calamus, si sunt mortalia curæ
Defunctis, lacrumas has suscipe, quæso, clientis
Postremas ficti. Pede tu fulgentis Olympi
Jam premis astra; DEI NATUM, FLATUMq; PATREMq;
Aspicis Inter avos sanctos Tu sanctus & ipse
Ter *sancte* TRIADI meritos indicis honores.
O felix corpus fragili hac compage solutum!
O anima astriferi residens in culmine cœli!
Pax tibi parta dehinc; Nos febres, bella, tumultus,
Et gemitus, lacrumæq; manent, deponere donec
Has jubeat DEUS exuvias, tumuloq; recondi.

Observantiæ & honoris ergà pie defunctum Dn Doctorem ultimi, tum condolentiæ erga relictos liberos & coniugem mœstissimos testificandæ ergo inter lacrymas domesticas scribebam

M. Georgius Schedius, Scholæ Gustr. Rector.

ERgò tuam, nobis, lucem, meritissime Doctor,
Subtrahis, ô patriæ fulgida stella meæ?
O spissas nubes! quot splendida sydera, justum,
Subducit, Numen: Lumina quanta tegit!

Infe-

Infelix cape lugubres Germania vestes,
Turpia sunt tanti crimina causa mali.
Ast inhibe tenebras, Lux mundi, vive Redemptor
Muniat, imbelles nos, tua Christe manus.

Gemebundus subjunxit

Christianus Swantenius, Gustr.
Megap.

CIPPUS BACMEISTERIANUS.

Quid querar? horriferam latè grassantis Enijus
Barbariem? fractasq; feris ululatibus urbes?
Et perterricrepo regiones Marte subactas?
Hei mihi! quæ rerum facies. Jam Tityrus arva
Triptolemo lugente fugit, sylvasq; moratur.
Aut querar Umbrigenæ furialia spicula Clothûs
Pestiferasq; faces? Terræ Morbona colonos
Enecat, & putri ponit Libitina grabato:
Nec cadit ante diem telluris inutile pondus,
Blax, blepharo, caudex, vappa, scelerumq; propago,
Arcadiumq; pecus, potius palmaria virtus,
Primaq; fama perit, magis heu! fera parca resolvit
In sacros Domini Mystas sarraca furoris.
Ergo quid ad mœstam *serpens devolveris* urbem
Nebela, rauciſoni proles junctissima Varni?
Siste fugam tacitè placidisq; relabere lymphis
Huc ubi feralem jam ponit Musa cupressum.
Heliadumq; sator *flammâ volitante caballos*

Deme volucripedes, mœstos attollere vultus
Lucifluam pullo circumda syrmate frontem.
Et vos Urbicolæ *tetricum deprimite luctum,*
Anthracino corpus vestitu, tempora rhamno,
Et velate comam myrto, date signa doloris.
En! bini Ceryces, *queis non felicior alter*
Fundere doctiloquæ rorantia flumina linguæ,
Et gravitate sacra Cathedram flammare Lutheri
Occubuere pares. Nunc heu! quoq; clarus acerbo
Qui Superintendit discedit Episcopus ævo.
O rigidas sortes! ô crudelissima fata!
Fallor? An altithroni cultrix Ecclesia Christi
Vellit acerba comam, tristi circumdata peplo
Plangit & altisonos profundit pectore questus:
Me miseram! quæ fata mihi, quæ nubila sacris
Incumbunt faniis! Stygijs laxata repaglis
Agmina Stymphalidum summi delubra Tonantis
Invadunt, violat penitralia sancta Celæno,
Et populatur opes, flagrantes diruit aras
Ocypete, quod triste magis furialis Aello
Opprimit heu! fidos dira ferita ministros.
Nec satis: Et nocuo late grassata flagello
Lurida Morta crepat, numerosâ plebe Dynastas
Atq; sacerdotes sacratâ dirimit ade.
Hinc grex Christiadum viduus pastore gemiscit.
Eloquar an sileam? Tu *BACMEISTERE* columna,
Eusebiæ sublimis eras, clarusq; Smaragdus
Theologiæ, Jaspisq; mei nitidissima templi,
Atq; ministerij fulcrum, *tamen occidis (eheu!)*
Occidis & positam concludis Numine metam.
Quis mihi nunc Clario defunctum tollere plectro

Præsumet, titulosq; VIRI cantare studebit?
Obruit hic numeros pedibus nec clauditur arctis.
Principium tangis generis? Stat fulgida gentis
BACMEISTERIADUM series. *O nobile sanguen*
Denati genitor! *dudum quem junxit Olympo,*
Et super astra tulit deaurato gloria curru.
En! fuit hic rosei palmaria fama Lycei
Publicitus professa fidem, Cathedramq; gubernans
Atq: Ministerium denos prope quatuor annos.
Euge virum celebrem famâ super æthera notum!
Progeniem referes? varijs hanc ardua terris
Reddidit illustrem clytie, *quacunq; coruscis*
Elatus plantis Pyroeis Phœbi axe rotatur.
JANE Machaoniæ sidus prænobile gentis,
Te mea Musa canit: Tu dulcis ad inclyta Varni
Mœnia *formasti pubem medicâ arte, Galenum*
Hippocratemq; docens. Quid? adhuc Palinurus Averni
Ipse charon frendet, rabidaq; exæstuat ira,
Quod MATTHÆE cavam toties revocaveris alnum
Flumine Lethæo, parcasq; illuseris herbâ
Poconiâ dignus Lunæ-Podalirius-arcis.
Hic quid te memorem Phœnix HENRICE Themistos
Astræaq; decus? dictæ qui Syndicus *urbi*
Fidus eras, tersoq; dabas consulta profatu.
Nec te fama tacet Graiæ JACOBE loquelæ
Immortale decus, quondam qui limina Gryphis
Argolico clarere dabas sermone, Magister
Attica quem tellus suavi est mirata lepore.
Hæc germana fuit defuncti copula fratrum
Quadrifidis laudata plagis, qua tota beatum
Incolit Elysium, rutilâq; in sede triumphat.

Heu

Heu dolor! & sequitur fatorum lege supremus
BACMEISTERIADES, divo quem famine Peitho
Imbuit & sacra fovit meletemate vocis.
O magnum Heroem! quondam mysteria sacri
Codicis in patria professus laude Roseto
Varniacas docuit Musas, post Numine Divûm
Præpositum statuit secreta Pronoea cathedris
Mystarumq; choro, pulcer quem circulus ambit
GUSTROVII *tractus proh! quantis munia curis*
Expedijt, vigiliq; tulit mandata labore.
Tu mihi Pastorum virtus orbata Patrono
Testis es ac obitum multis heu! Fletibus urges
Sed quorsum lacrumæ. Tu BACMEISTERE theatrum
Empyreum calcas, rutilis in tempesi Divum
Nectar & Ambrosiam cœlos petis arduus escam,
Justiciæq; ceryx radios ante ora Jehovæ
Spargis ut auricomo proles Hypertonis axe.
Ergo vale sacer Antistes, cape lucida cœli
Culmina, Sarcophagi requiescat fornice corpus

Debitâ observantiâ erga Patronum quondam
suum desideratissimum erectus
Συμπαθείας ἕνεκα
ab
Anthonio Hoffmann.

Johannis Hofe Gerhardg III. ist Kaiserl. Hauß in Lübeck gewesen, und
Elisabeth Millies geheyrathet, mit der er gezeuget

1. Johan, so zuletzt das Amptes Tangendorff Verwalter gewesen, der hinterlassen einen Hofe, welcher Prediger zu Nüssa in Niederlausitz. +
2. Gerhard, so mit einer von Lüneburg, die über 100. Jahren das Kaiserl. Pfäll in Lübeck bekleidet, sich Verheyrathet, von der gebohren
einen Hofe genannt Gerhard, Mercator. und
Töchter, genannt Elisabeth, die zuletzt Hr. Henrico Baleman, J.U.D. und Senat. Lubec. zur Ehe gehabt.
3. Agnes, die Verheyrathet an Hr. M. Michael Hirnen Pastorn an St. Marien in Lübeck, davon die Herren Hirnen
M. Gerhard, Ecclesiaster Regiom. Lubecæ.
Michael, S. Theol. D. et Superint. Circuli Rostock.
Johannes, ictus et cor. Lubec.
Christophorg, Secretar. Lubec. etc.
4. M. Hermann, Past. ad ortum Travæ, so mein Ehrenger Vatter.

Herman, so der Ehrenger Vatter Landgutt Rübbenz Dorff gearbeit, hat wieder einen Hofe hinterlassen, so auch Herman genandt, welcher ao 1619. Catharinam von Nielsen geheyrathet, mit der erzeuget

1. Herman, der das Väterl. Landgutt bekommen, hat geheyrathet Marg: Elisab. Güldenstern, von der gebohren

Mortuus est an. 1711. 24. Aprt. ætat. 55.

Herman Bernhard, Lieutenandt, der ist das Väterl. Landgutt besitzet, und Clara Kräutgens geheyrathet. Hæc peperit filiis impuberibus mœstis.

Johan Daniel, Mercator. +.
Dorothea Catharina, Verheyrathet an Hr. Hinrich seelig Luder, Majorn, Margaretha, et Clara Elisabetha.
2. Bernhard, der studiret, und in Franckreich, Engelland, Teutschland und Niederland sich wohl Versuchet, ist unverehelicht Verstorben.
3. Daniel.
4. Christinam Julianam et 5. Hermann Christophorum.

Ao. Hujus Hermanni Bernhardi Filia natu maxima Elisabetha Catharina, elocata est
anno 1726 Ducatu Mecklenburg. Viro Nobili de Basewitz.

Hæc consignata ao. 1695.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546/phys_0103
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546/phys_0104
DFG

Præsumet, titulosq; VIRI cantare studebit?
Obruit hic numeros pedibus nec clauditur arct
Principium tangis generis? Stat fulgida
BACMEISTERIADUM series. O nobile
Denati genitor! dudum quem junxit Olym
Et super astra tulit deaurato gloria curru.
En! fuit hic rosei palmaria fama Lycei
Publicitus professa fidem, Cathedramq; gub
Atq: Ministerium denos prope quatuor
Euge virum celebrem famâ super æthera notum!
Progeniem referes? varijs hanc ardua terris
Reddidit illustrem clytie, quacunq; coruscis
Elatus plantis Pyroeis Phœbi axe rotatur.
JANE Machaoniæ sidus prænobile gentis,
Te mea Musa canit: Tu dulcis ad inclyta V
Mœnia formasti pubem medicâ arte, Galen
Hippocratemq; docens. Quid? adhuc Palinu
Ipse charon frendet, rabidaq; exæstuat ira,
Quod MATTHÆE cavam toties revocaver
Flumine Lethæo, parcasq; illuseris herbâ
Poconiâ dignus Lunæ-Podalirius-arcis.
Hic quid te memorem Phœnix HENRICE T
Astræaq; decus? dictæ qui Syndicus urbi
Fidus eras, tersoq; dabas consulta profatu.
Nec te fama tacet Graiæ JACOBE loquelæ
Immortale decus, quondam qui limina Gryp
Argolico clarere dabas sermone, Magister
Attica quem tellus suavi est mirata lepore,
Hæc germana fuit defuncti copula fratru
Quadrifidis laudata plagis, qua tota beatum
Incolit Elysium, rutilâq; in sede triumphat.

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 032
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766612546/phys_0105
DFG